J. Prunelle P. m. m.
401523

JOSEPHI JACOBI PLENCK

Chirurgiæ Doctoris, Chemiæ atque Botanices Profeſſoris publici, ordinarii in Academia chirurgica militari, nec non Directoris pharmacopœarum militarium atque chirurgi ſtatus militaris ſupremi.

TOXICOLOGIA

SEU

DOCTRINA

DE

VENENIS ET ANTIDOTIS.



Ingens ſub minima mole latet malignitas.

SYDENHAM. *Sect. I.*

VIENNÆ,
Apud Rudolphum Græffer. 1785.

AUGUSTISSIMO

GLORIOSISSIMO

ROMANORUM IMPERATORI

JOSEPHO II.

HUNGARIÆ, BOHEMIÆ, DALMATIÆ, CROATIÆ, SCLAVONIÆ, HALLICIÆ, NEC NON LODOMERIÆ, BOSNIÆ, SERVIÆ ET BULGARIÆ

REGI APOSTOLICO,

ARCHIDUCI

AUSTRIÆ.

DUCI

BURGUNDIÆ, BRABANTIÆ, MEDIOLANI, STYRIÆ, CARINTHIÆ, CARNIOLIÆ, MANTUÆ, PARMÆ, PLACENTIÆ, LIMBURGI, LUXEMBURGI, GELDRIÆ, GUASTALLÆ, DUCATUS AUSCHVICENSIS ET ZATOVIENSIS, WÜRTEMBERGÆ ET UTRIUSQUE SILESIÆ.

PRINCIPI

SUEVIÆ ET TRANSYLVANIÆ.

MARCHIONI

S. R. IMPERII, BURGOVIÆ, MORAVIÆ, SUPERIORIS ET INFERIORIS LUSATIÆ,

LEGS

COMITI

HABSBURGI, FLANDRIÆ, TYROLIS, NAMURTIÆ, FERRETIS, KIBURGÆ, GORITIÆ, GRADISCÆ, ARTESIÆ ET SICULORUM.

LANDGRAVIO

ALSATIÆ.

DOMINO

MARCHIÆ SCLAVONICÆ, PORTUS NAONIS, SALINARUM, MECHLINÆ ETC. ETC.

DOMINO, DOMINO

CLEMENTISSIMO.

AUGUSTISSIME

IMPERATOR

DOMINE DOMINE

CLEMENTISSIME!

Quamvis ſcientiarum & artium, quæ ad communem perfectamque populorum felicitatem exiguntur, nulla ſit in univerſis, qua late patent, TUO ſceptro ſubjectis regnis, quæ clementia liberalitateque TUA non fruatur. Nulla tamen magis quam chirurgia, quæ ſaucio ægrotoque militi medetur, vigorem incrementumque ſuum TIBI, INVICTISSIME IMPERATOR debet. Luculentiſſimum, æterneque duraturum Academia chirurgica militaris præbet monimentum, quod jam magna imitatur Ruſſia, tota admiratur Europa, nomenque TUUM ſeræ reddet poſteritati. Hanc ſcollam tam profuſis theſauris, tam benefica, tam liberali exſtruxiſti manu, ut jam nihil profecto deeſſe nobis videatur ad ſummum rei chirurgicæ litterariæ culmen adipiſcendum. Dignare igitur CLEMENTISSIME DOMINE, ut exiguum hoc impenſorum meorum laborum

ſpecimen, quod ſcollæ TUÆ prænaturus leviſſimusque fructus eſt, ad pedes SACRATISSIMÆ TUÆ MAJESTATIS deponam. Hæc clementia me votorum meorum, quo grati animi teſtimonium exhibere valeam, compotem reddet & mihi atque cæteris hujus ſcollæ Profeſſoribus efficaciſſimus ad præſtantiora opera molienda erit ſtimulus. Immortale NUMEN TE, AUGUSTAMque FAMILIAM in communem ſubditorum felicitatem quam diutiſſime conſervet.

SACRÆ, CÆSAREÆ, REGIÆ,
APOSTOLICÆ MAJESTATIS

Fideliſſimus ſubditus
JOSEPHUS PLENCK.

Digitized by Google

PRÆFATIO.

Toxicologiam in epitomen redactam editurus in limine operis eo minus hujus ſcientiæ neceſſitatem, utilitatemque adſtruere, opus eſſe arbitror; quum noſtro præprimis ævo omnibus artis Hippocraticæ cultoribus notiſſimum ſit, vix ullum elabi annum, quo non mortalium plures vel culinæ errore aut caſu fortuito, aut imperitia medentis, aut impietate malevoli vel vitæ tædio, furiisve conſcientiæ agitati toxicum hauriant.

Non rari igitur ſunt caſus legales, in quibus medicus forenſis ad tribunal, quod crimina judicat, opinionem ſuam de certitudine exhibiti veneni interponere tenetur. Nullum denique malum adeo perpetim vitæ mortalium inſidiatur, nullusque fere morbus promptiorem requirit medelam, quam qui ex hauſto provenit veneno. Eo demum felicitatis recentiorum naturæ ſcrutatorum induſtria devenit, ut multorum venenorum nomen noſtro præprimis ævo terribile eſſe deſinat. Doſis enim utpluri-

mum non benefica Natura venenum a medicamento diſtinguit.

Multa etenim venena, quæ deleteria ex integro olim habita, hodie tanquam dona pretioſiſſima in vindicias ſanitatis divinitus data veneramur. Multorum enim virtus medicata auxilium adhuc præſtat deſperatiſſimis in morbis, in quibus mitiora medicamenta utplurimum fallunt; exemplo opii, belladonnæ, aconiti, præparatorum mercurialium, antimonialium, cantharidum &c.

Hac in medicinæ parte laudem maximam ſibi pepererunt viri illuſtres, qui haud ſolum vim deleteriam, ſed inſimul vim medicatam & antidota venenorum recenſent. E numero toxicologorum primarii ſunt Mercurialis, Ardoynus, Gesnerus, Friccius, Lindestolpe, Mead, Rhedi, Progiani, Wepferus, Navier, Fontana, Krapf, Cælsi, Stoerck, Murray præ omnibus vero *Celeberrimus* Gmelin, cui præſtantiſſimum de venenis opus debemus. Horum virorum dogmata in aphoriſmos redegi prælectionibusque adaptavi. Sola vero venena hominibus deleteria, non ſimul ea, quæ animantibus lethalia recenſui.

DE VENENIS GENERATIM.

Ens, quod perexigua doſi, corpori humano ingeſtum aut extus applicatum, vi quadam peculiari morbum gravem vel mortem cauſat, *Venenum* ſeu *Toxicum* audit.

Omne venenum ſolummodo certæ doſis reſpectu deleterium eſt, nam atrociſſima venena paucis exceptis, in valde exigua doſi ſæpe optima ſunt medicamenta.

Dantur tamen talia entia, quæ corpus ſemper deſtruunt & e quibus nulla doſis medicamentoſa eſt, ut venenum hydrophobicum, peſtilentiale, &c. hinc dantur venena *medicamentoſa & non medicamenta* ſeu *ſemper deleteria*.

Digitized by Google

Sunt iterum, quæ deglutita non deſtruunt, ſed cum aëre ad pulmones delata, vel vulneri inſtillata enecant. Aer fixus cum muſto fermentante copioſe deglutitur impune, cum aëre inſpirato ad pulmones delatus ſubito necat, Venenum viperinum ventriculo ingeſtum impune fertur, vulneri inſtillatum mortem cauſat. Sunt denique alia venena, quæ non ſolum *interne* ſed etiam *externe* applicata nocent, ut arſenicum.

Dantur denique venena *communia*, quæ omni homini & cuilibet animali noxam inferunt ut arſenicum, mercurius ſublimatus corroſivus. Dantur demum venena *relativa*, quæ vel ſoli homini vel ſolis animalibus & ſæpe uni ſolummodo animalium generi nocent. *

---

* Sic *Nux Vomica* brutis non æque hominibus deleteria eſt; *Aloe* canibus & vulpibus nociva; non homini; *Cocculi indici* piſcibus & pediculis deleterii; *Phellandrium aquaticum* equis lethale, bobus innoxium eſt. *Doronicum* canes necat, rupicapras, alaudas & hyrundines nutrit. Semen *Petroſelini* avibus; *Piper* ſuibus damnoſum eſt; *Amygdalæ amaræ* vulpes, felles & gallinas necant. *Conii maculati* ſemine ſturni, *ſtramonii* ſemine phaſiani, *lolii temulenti* ſemine coturnices, *hyoſciami* radicibus ſues ſine damno veſcuntur.

Ex his ergo patet quodlibet venenum ſolummodo agere reſpectu *doſeos*, qua exhibetur, reſpectu *partis noſtri corporis*, cui applicatur & reſpectu animalis ſeu *ſubjecti*, cui propinatur.

Dividuntur venena reſpectu *regni*, e quo depromuntur

in *animalia*, quæ ex regno animali
— *vegetabilia*, quæ ex vegetabili
— *mineralia*, quæ ex minerali deſumuntur ;
— *halituoſa* quæ ex atmoſphæra hauriuntur.

Reſpectu *temporis*, quo venena necant, dividuntur
in *velocia*, quæ mortem cito inferunt, ut magna doſis arſenici, ſublimati corroſivi vel aëris fixi pulmonibus hauſti.
in *lenta*, quæ lente inducunt mortem, ut ſaturnina.

Reſpectu *indolis principiorum conſtitutivorum*, quibus venena maximam partem conſtant, dividuntur
in *acria*, ut *vegetabilia* draſtica, corroſiva, *mineralia* acida, alcalina, metallica, & acido-metallica. *Animalia* deleteria, necrotica.
in *narcotica* ut vegetabilia quædam
— *narcotico-acria*, quæ utroque principio nocent.
— *halituoſa*, quæ halitu noxio ſuffocant.
— *mechanica*, quæ ſtructura mechanica agunt.

Reſpectu *ſymptomatum*, quæ venena producunt, habentur

1. *Inflammatoria*, quæ inflammationem & gangrænam inducunt.
2. *Draſtica*, quæ ſurſum ac deorſum primas vias validiſſime evacuant.
3. *Convulſiva*, quæ convulſiones aut ſpaſmos toto in corpore excitant.
4. *Paralytiſantia*, quæ paralyſin extremitatum ut ſaturnina, vel cordis ut lauroceraſus inducunt.
5. *Narcotica*, quæ ſoporem, delirium, amauroſim cauſant.
6. *Suffocatoria*, quæ ſuffocant halitu mephitico.
7. *Exſiccantia*, quæ corpus tabe conficiunt, ut ſaturnina.
8. *Septica*, quæ ſanguinem ſolvunt, putrefaciunt, gangrænam inducunt.

Diagnoſis generalis veneni velociter agentis, interne exhibiti, depromitur

1. Ex *ſubitanea invaſione ſymptomatum*, ut ſi homô ſanus ex ingeſto quodam cibo, vel potu vel medicamento, aut re quadam incognita paullo poſt corripiatur vertigine, cardialgia, colica, vomitu, cholera, ſpaſmis, convulſionibus, debilitate, ani-

mi deliquiis aut ſopore &c. Aut ſi labia, lingua, fauces, ventriculus & abdomen cum ſenſu ardoris intumeſcant.

2. Ex *ſaburra egeſta*, ut ſi ſaburra vomitu vel alvo ejecta maſticatam herbam, vel radicem, vel fungum, vel pulverem, ſalem, ſuccum vel pilulam referat, & ſi hæc ſaburra cani, felli, vel gallinæ ad devorandum data animal interimat, aut ſaltem graviſſime afficiat. Sed memor ſis, venena quædam homines non vero animalia interficere.

3. Ex *cadaveris inſpectione*. Si in tali cadavere ventriculus inflatus, vel ſpaſmodice contractus, aut inflammatus vel gangrænoſus, vel ſaltem maculatus inveniatur, abſque alia prægreſſi prius morbi cauſa.

4. Ex *notitia botanica*. Si in ſaburra vomitu vel alvo egeſta, vel in cadaveris ventriculo inventa, adhuc appareat ſemen, radix, foliolum, fungus vel pulvis vegetabilis, vel ſi tale vegetabile in domo denati inveniatur, quod ex notitia botanico-pharmaceutica ſcimus eſſe venenatum.

5. Ex *notitia chemica*, ſi ex adhibito criterio chemico inventi in ſaburra veneni mineralis indolem inveniamus.

Unicum ſignum *certum* dati veneni eſt *notitia botanica* inventi veneni vegetabilis, & *criterium chemicum* dati veneni mineralis. Cum vero perſæpe hæc duo ſigna certa ob paucitatem inventæ materiæ ſuſpectæ, aut vegetabilis nimium maſticati, vel in ventriculo mutati adhiberi nequeant, hinc patet, cur ſæpe *judicium* de dato veneno maneat *incertum*.

Signa ſpecialia cujuslibet peculiaris veneni adhuc dum deſiderantur, quorumdam vero ſigna habemus, quæ in ſpeciali venenorum conſideratione ſumus relaturi.

Poſſunt venena *quintuplici via* corpus noſtrum ingredi.

1. Per *os* & *œſophagum*, quo forma cibi, potus, medicamenti vel aëris in ventriculum deglutiuntur.
2. — *anum* ope enematis.
3. — *nares* ope odoris.
4. — *pulmones* ope halitus inſpirati.
5. — applicationem ad *cutem* integram vel læſam.

Ergo reſpectu *ſedis* quam venenum occupat, poſſunt venena dici *ſtomachica* — *enterica* — *narina* — *pulmonica* — *cutanea*. Et ſi ex his viis ipſum ſanguinem jam ingreſſa ſunt, *ſanguinea* ſeu in *toto corpore reſidentia* audiunt.

MEDELA VENENORUM.

Medicamenta quæ venena enervant, *Antidota* & *Alexipharmaca* dicuntur.

Hæc dividuntur
in *generalia*, quæ omnibus venenis conveniunt ut evacuantia, pinguia, mucilaginoſa plaſtica.
— *ſpecifica*, quæ vi ſpecifica venenum enervant.

Venena *gaſtrica*, ſeu quæ in ventriculo ſolo adhuc reſident, optime eliminantur dato vomitorio; venena vero *enterica* ſeu quæ in inteſtinis reſident, optime evacuantur purgantibus. Si vero jam valida inflammatio ventriculum vel inteſtina occupet, tunc ſola diluentia, & obvolventia, ut lac, emulſio, ova tenua cocta, oleoſa, pinguia, mucilaginea, aqua tepida copioſiſſime hauſta conveniunt.

Venena *ſanguinea* ſeu ſanguini immixta iisdem remediis circurantur & ſimul datis ſudoriferis & diureticis e ſanguine eliminantur.

Venena *pulmonalia* ſeu halitus noxii pulmonibus hauſti, halitibus contrariis ut acidi alcalinis, alcalini acidis, phlogiſticati aëre dephlogiſticato &c. ſæpe feliciter deſtruuntur.

Venena *narina* eluuntur e naribus vel mox dictis remediis invertuntur.

Venena *cuti externæ* applicata exigunt ablationem vel ſuppurationem, qua eliminantur; vel applicationem remedii involventis aut ſpecifici; de quibus in ſpeciali venenorum conſideratione dicetur.

Reſpectu *antidoti* habentur venena, quorum antidota nobis ſunt *comperta* & alia quorum antidota *ignoramus*.

ELEN-

VENENA
EX
REGNO ANIMALI.

B

ELENCHUS.

De venenis animalibus generatim.

COLUBRI AMERICANI.

Crotalus horridus *die Schauerſchlange.*
——— miliarius *der Schleiderſchwanz.*
——— Dryinas *die Ungezieferſchlange.*
——— Duriſſus *der Klapperer.*
——— mutus *der Stumpfſchwanz.*

Coluber Atropos *die Giftſchlange.*
——— Leberis *der Schlangenbalg.*
——— Dipſas *die Durſtnatter.*
——— Myctericans *die Rumpfnaſe.*
——— Lacteus *der Milcher.*

COLUBRI ASIATICI.

Coluber Naja *die Brillenſchlange.*
——— ſeverus *die Japoniſche Natter.*
——— ſtolatus *die Schleppennatter.*
——— atrox *der Tyrän.*
——— corallinus *die Corallennatter.*
——— Ammodytes *der Sandkriecher.*
——— lebetinus *die Kupfernatter.*

COLUBRI AFFRICANI.

Coluber Vipera *die Vippernatter.*
——— niveus *die Schneeſchlange.*
——— Haje *die Kropfnatter.*

COLUBRI EUROPÆI.

Coluber Berus *die Europæiſche Natter.* Germanicus.
——— Preſter *die ſchwarze engliſche Natter.* Anglicus,
——— Cherſea *die ſchwediſche Natter.* Suecicus.
——— Aſpis *die franzöſiſche Natter.* Gallicus.
——— Illiricus *die illiriſche Natter.* Italicus.

INSECTA VENENATA.

Furia infernalis *der Tollwurm.*
Meloe veſicatorius *die ſpaniſche Fliege.* Cantharis.
——— majalis *der Maywurm.*
——— Proſcarabæus *der Zwitterkäfer.*
Scorpio africanus *der africaniſche Scorpion.*
Phalangium araneodes, *die Scorpionenſpinne.*
Sirex Gigas *die Holzweſpe.*
Bupreſtis *der Stinkkäfer.*
Aranea domeſtica *die Hausſpinnerin.*
——— Tarantula *die Tarantel.*
Pulex penetrans, *der amerikaniſche Floh.*
Culex pipiens, *der Musqueton.*
——— pulicaris, *die Flohmücke.*
Culex Lanio, *die Viehtödtende Mücke.*

Apis mellifica, *die Biene.*
Veſpa vulgaris, *die Weſpe.*
——— Crabro, *die Horniſſe.*

VERMES VENENATI.

Gordius medinenſis, *der Hautwurm.*
——— marinus, *der Seewurm.*
Hirudo medicinalis venenatus, *der giftige Blutigel.*
Tethis marina, *der Meerhaſe.*
Urtica marina, *die Seeneſſel.*

AMPHIBIA VENENATA.

Rana Buffo, *die Kröte.*
Lacerta Gecko, *der Gecko.*
——— Salamandra, *der Salamander.*

PISCES VENENATI.

Tetradon ocelatus, *der gefleckte Stachelbauch.*
——— lineatus, *der geſtrichelte Stachelbauch.*
Trachinus Draco, *das Petermännchen.*
Perca venenoſa, *der Giftbarſch.*
Raja Paſtinaca, *der Pfeilſchwanz.*
——— Torpedo, *der Krampffiſch, der Zitterroche.*
Gymnotus electricus, *der Zitteraal.*
Sparus Pagurus, *die Sackfloſſe.*

VENENA EX MORBO ANIMALIS.

Mytilus edulis venenatus, *die giftige Küchenmuſchel.*
Oſtrea edulis venenatus, *die giftige Küchenauſtern.*

Ovum putridum, *gefaultes Ey.*
Pinguedo rancida, *ranzige Fette.*
Animal putridum, *faules Thierfleiſch.*
Virus luis bovillæ, *Thierſeuchengift.*
—— rabioſum, *tolles Hundsgift.*
—— varioloſum, *Pockengift.*
—— morbilloſum, *Maſerngift.*
—— ſcarlatinum, *Scharlachgift.*
—— ſcabioſum, *Kräzengift.*
—— venereum, *Luſtſeuchgift.*
—— plicoſum, *Wichtelzopfgift.*
—— cancroſum, *Krebsgift.*
—— leproſum, *Ausſazgift.*
—— peſtilentiale, *Peſtgift.*
—— morborum putridorum, *Gift fauler Krankheiten.*

Digitized by Google

DE VENENIS ANIMALIBUS GENERATIM.

Omne animal vel productum animale, quod corpori noſtro ingeſtum vel externe applicatum mortem aut gravem ſaltem morbum cauſat, *venenum* dicitur *animale*.

Regnum animale pauciſſima ſuppetitat venena reſpectu regni vegetabilis & mineralis.

Dividi poſſunt venena animalia
in *ſerpentes venenatos*.
— *Inſecta venenata*.
— *Vermes venenatos*.
— *Amphybia venenata*.
— *Piſces venenatos* &
— *animalia ex morbo venenata*.

Ex ſerpentum claſſe, quorum *Immortalis* LINNÆUS 132 nobis deſcriptos dedit, ſolummodo 24 ſunt veneno prædit.

Omnes ſerpentes venenati ex ordine Crotalorum vel Colubrorum ſunt. Nec *Boæ* nec *Angues*

nec *Amphisbænæ* nec *Cæciliæ* fatum dente minantur.

Noscuntur ſerpentes venenati, quod in ſuperiori mandibula præter dentes omnibus ſerpentibus communes adhuc 2 vel 3 longioribus, pro lubitu ſerpentis exſerendis vel retrahendis dentibus caninis, exiguo foramine pertuſis, gaudeant. Crotali ſeu Caudiſonæ præter hos dentes adhuc crepitaculo, quo cauda terminatur, inſtructæ deprehenduntur.

Venenum viperarum eſt humor flavus, nec acidus, nec alcalinus nec ſalinus; olei amygdalini conſiſtentia gaudens, inodorus, pinguedinis recentis ſapore præditus, qui in peculiaribus folicuIis ſub baſi dentium caninorum locatis ſecretus, ſub ipſum hominis vel animantium morſum ex caninis viperæ dentibus gingivarum appreſſu effluit & vulneri infunditur.

Vis noxia. Venenum viperarum ſi deguſtetur, linguam non inflammat ſed ſtupefacit; nec deglutitum noxam infert ventriculo, inteſtinis aut reliquo corpori, quod mirum at ſanguini per vulnus inmixtum lethale eſt. * Non ve-

* Id veteres jam aliquatenus perſpexiſſe ex Lucano L. IX. v. 517. patet.

Noxia ſerpentum eſt admiſto ſanguine peſtis.
Morſu virus habent & fatum in dente minantur,
Pocula morte carent.

ro lethale eſt ipſis viperis a ſe ipſo vel aliis demorſis. Etiam nervis, integumentis, muſculis, tendinibus applicatum innoxium eſt. Nec cuilibet animantium generi nocet. *

QUANTITAS veneni, quæ ad necanda animalia requiritur pro animalis necandi magnitudine major, minorve requiritur.

SYMPTOMATA maxime conſueta ſunt partis demorſæ dolor, intumeſcentia inflammatoria, emphyſematoſa, gangrænoſa; anxietas & languor ingens, ſitis, icterus, ſpaſmi, vomitus, vomituritio, diarrhæa, tormina, ventris inflatio; leipothymia, pulſus debilis, intermittens, mors.

Ne vero genus animalium adeo exitioſum in homines cæteraque animantia nimium ſeviret, nimiumque ſeſe multiplicaret, dedit Providus ac Beneficus CREATOR Indis *ichneumonem;* Americanis *ſuem*, Europæis *ciconiam;* quæ animalia noxios ſerpentes avidiſſime venantur atque ſine noxa devorant.

ANTIDOTA SERPENTUM ſeu remedia *anticolubrina* dividuntur

---

* *Cel.* FONTANA *Traitè ſur le vènin de la vipere, ſur les poiſons americains, ſur le laurier — ceriſe. Florence* 1781. 2 *Tomes.* id variis experimentis ſolide demonſtrat.

in *generalia*, quæ in omnium vel plurium ſaltem viperarum veneno conveniunt.

— *ſpecialia*, quæ in unius vel alterius viperæ morſu juvant, quodlibet enim viperæ genus *diſtincto* inſtructum eſſe videtur viru.

Ad *generalia* pertinent

1. *Scarificatio* vulneris ope lanceolæ & *extractio* ſanguinis ope ventoſæ.
2. *Exſuctio* vulneris ope oris. *
3. *Elutio* vulneris ope muriæ vel urinæ.
4. *Ligatura* partis ſupra locum vulneris.
5. *Defoſſio* membri demorſi in terram.
6. *Amputatio* membri demorſi.
7. *Inſperſio pulveris cantharidum* & applicatio emplaſtri veſicatorii ut ſuppuratio vulneris per 2 vel 3 hebdomades ſuſtineatur. **
8. *Lac* & *oleum olivarum* magna copia potatum.

---

* Apud veteres Pſylli, Lybiæ & Marſi, Italiæ populi hominibus ſerpente ictis vulnus exſugendo mederi ſolebant. CELSUS *L.* V. *cap.* 27. Sed cave ne ore ulceroſo id fiat.

** *Schwed. Abhandlung* 40 *Band* p. 100. *Ill.* ACRELL duos recenſet caſus ægrorum colubro Cherſea demorſorum, qui ſola applicatione externa cantharidum & uſu interno lactis ſanitati reſtituebantur. In cantharidum defectu inſperſio tabaci vel ſalis culinaris vel alius quid acris tentetur.

9. *Theriaca*, *Roob* & *infuſum ſambuci* pro ſudore movendo.

Ad Anticolubrina *ſpecifica* revocantur

1. Radix *Mungos*. Profuit in morſu *Najæ* & aliis colubris *Aſiaticis*. Pulveris drachma una datur interne & externe aqua humectata vulneri applicatur. *
2. Radix *Senegæ*. Eſt antidotum in Crotalophoris & Colubris *Americanis* nec non in *Cherſea*. Americani radicem maſticatam vulneri imponunt & grana 15 pulveris degluttiunt. ** Tentetur quid Polygala *vulgaris* & *amara* præſtet, ſi Polygala *Senega* deeſt.
3. Radix *Serpentariæ virginianæ*. Succus deglutitus & ſimul vulneri applicatus morſum venenatiſſimi Crotali, Indis *Boiconinga* dicti, enervare fertur. ***
4. Radix *Ariſtolochiæ anguicidæ*. Gutta una vel altera ſerpentis ori inſtillata ſerpentem adeo per tempus inebriat, ut impune tractari queat. Pluribus guttis deglutitis ſerpens ſub convulſionibus moritur. Eſt circumforaneorum artificium, qui quæ-

---

* *Cel.* Darell *diſſ. de ligno colubrino.*

** *Cel.* Kernander *diſſ. de Senega.* in *Ill.* Linnæi *amœnit. acad. Vol.* VI. p. 214.

*** *Cel.* Geoffroy *mat. med.* T. 2. p. 248.

ſtus cauſa venenatos ſerpentes tractant, ut plebi ſpectaculum faciant. Odor radicis ſerpentibus tam ingratus, ut oblata modo radice auffugiant. Radix vulneri a ſerpente inflicto impoſita & ſimul interne uſurpata morſus periculum avertere dicitur. *

5. *Lignum colubrinum* &

6. *Ophioxyllum ſerpentinum* ſimiles ac radix mungos dicitur habere vires in morſu viperarum.

7. Folia *Fraxini*. In ictu Colubri *Cherſeæ* & Colubri *Beri* ſpecifice laudantur. *Externe* folia contuſa loco læſo applicantur. *Interne* ℥ ij ſucci foliorum cum vino expreſſorum bis in hora propinantur, donec ſymptomata remittant. **

8. *Nux vomica* ad ʒj bis de die data in Ceylona ut ſpecificum contra morſum *Najæ* propinatur. ***

9. *Alcali volatile* tum *ſimplex*, ut ſpiritus ſalis ammoniaci, tum *ſuccinatum*, ut ſpiritus ſalis ammoniaci ſuccinatus lacteus, qui *Eau de luce* dicitur in morſu viperæ gal-

---

* *Ill.* DE JACQUIN *ſel. ſtirp. americ.* p. 232.

** *Cel.* MONTIN in *Schwed. Abh.* 26 *Band.*

*** *Cel.* LE GRAND in notis ad J. RIBEYRO *Hiſtoire de l' Isle de Ceylon.* p. 154.

licæ laudatur. * Guttæ 10 interne dantur & aliquot vulneri inſtillantur.

10. Radix *gentianæ luteæ* &

11. *Mercurius gummoſus* in morſu viperæ Italicæ laudantur. **

12. *Saccharum.* In Cajenna contra morſum colubrorum interne & externe adhibent ſaccharum. ***

13. *Sal culinare* vulneri inſperſum in Caudiſonæ morſu profuiſſe fertur.

14. *Oleum olivarum.* Locus læſus ſæpius de die ſuper carbonibus ardentibus oleo inungatur & lavetur. Interne ſæpius de die aliquot unciæ olei bibantur. **** Profuit oleum in morſu *Beri* & *Preſteris* nihil vero in *Aſpidis* & *Cherſeæ* morſu. An *axungia viperarum* & *butyrum vaccinum* loco olei olivarum in *Bero* & *Preſtere* idem præſtat?

15. *Radix* vel *folia belladonnæ*, quæ generatim in morſu viperæ nuper laudata fuit. *****

---

* *Cel.* CHARAS *experiences de la vipere*, & *Cel.* JUSSIEU in *Acad. des ſcienc.* 1747.

** *Cel.* LAURENTI *ſynopſis reptilium emendata* p. 210.

*** *Ill.* RICHTER *Ch. Biblioth.* 5 *B.* 2 *St.* p. 171.

**** *Ill.* MURRAY *app. med. Vol.* II. p. 48.

***** *Ill.* RICHTER l. c. 6 *B.* p. 169.

Ex his patet accerrima bella & diſſenſus authorum æternum de antidotis duraturos ſola diſtinctione ſpecierum ſerpentum componi poſſe.

COLUBRI AMERICANI.

CROTALUS HORRIDUS.

CROTALUS horridus L. *die Schauerſchlange.*

HABITAT in America. Omnibus crotalis provida Natura crepitaculo caudam munivit; ut illius ſonitu, dum ſerpens caudam agitat, admonitus quilibet tempeſtive fugiat a vicino hoſte. Denique hic ſerpens ſuo fœtore aves, ſciuros, aliaque minora animalia adeo ſtupefacit & conſternit, ut in ejus prædam ex arboribus decidant, ac ſi faſcinata eſſent.

VIS NOXIA. Eſt omnium crotalorum venenatiſſimus. Ab eo ſauciati ingentem ſentiunt dolorem; reſpiratio redditur difficilis, ſumma oritur anxietas, tuſſis, ſputum cruentum: Pulſus fit durus, quandoque celer & debilis. Vulnus inflammatur, dein ſphaceleſcit. Totum demum corpus intumeſcit ac in putredinem cito abit. Quandoque intra 10 quandoque intra 5 minuta, ſapius vero tardius mors ſequitur.

ANTIDOTA hucuſque tentata fuerunt radix *ſenega. Lac. Spiritus ſalis ammoniaci.* * *Sal culinare.* **

Sues ſunt crotalorum infenſiſſimi hoſtes, hi totum ſerpentem excepto capite devorant. Tutus eſt itinerator, qui ſuem ſecum habet.

CROTALUS MILIARIS.

CROTALUS miliaris L. *der Schleiderſchwanz.*
HABITAT in Carolina.

CROTALUS DRYINAS.

CROTALUS Dryinas L. *die Ungezieferſchlange.*
HABITAT in America.

CROTALUS DURISSUS.

CROTALUS Duriſſus L. *der Klapperer.*
HABITAT in America.

CROTALUS MUTUS.

CROTALUS mutus L. *der Stumpfſchwanz.*
HABITAT Surinami.

---

* *Journal de Medicine* T. 24. p. 533.

** *Cel.* LESKE *med. Abhandl. aus den philoſophiſchen Transaktionen* 5 *Theil. Cel.* GALE duos ægrotos caudinoſa morſos inſperſo ſale culinari curavit.

Vis noxia hujus & præcedentium crotalorum eadem fere ac crotali horridi, hinc

Antidota eadem.

COLUBER ATROPOS.

Coluber Atropos L. *die Giftſchlange.*

Habitat in America.

COLUBER LEBERIS.

Coluber Leberis L. *der Schlangenbalg.*

Habitat in Canada.

COLUBER DIPSAS.

Coluber Dipſas L. *die Durſtnatter.*

Habitat in America.

COLUBER MYCTERICANS.

Coluber Myctericans L. *die Rumpfnaſe.*

Habitat in America.

COLUBER LACTEUS.

Coluber Lacteus L. *der Milcher.*

Habitat in Indiis.

Antidota. In colubrorum Americanorum morſu eadem ac in crotalis Americanis tententur Antidota.

COLU-

COLUBRI ASIATICI.

COLUBER NAJA.

Coluber Naja L. *die Brillenſchlange.*

Habitat in India orientali. Iratus in utroque cervicis latere cutem adinſtar alæ, quæ maculam perſpicillum referentem gerit, inflat.

Vis noxia. Eſt omnium colubrorum Aſiaticorum venenatiſſimus. Nudipedes Indi nullum aliud ſerpentum genus adeo quam Najam timent. Homines a Naja demorſi ſubito anxietatem cordis & lipothymias patiuntur, neglectoque alexipharmaco convulſi moriuntur. Antidoto ferius aſſumpto partis læſæ gangrænam, difficulter ſanabilem raro effugiunt.

Antidota ſunt radix *mungos*, externe & interne applicata. Inimicus ſummus Najæ eſt *Viverra Ichneumon;* hoc animal Najam ita ſectatur ut felis apud nos murem.

COLUBER SEVERUS.

Coluber ſeverus L. *die Japoneſiſche Natter.*

Habitat in Aſia.

COLUBER STOLATUS.

Coluber ſtolatus L. *die Schleppennatter.*

Habitat in Aſia.

COLUBER ATROX.

Coluber atrox L. *der Tyrann.*
Habitat in Aſia.

COLUBER CORALLINUS.

Coluber corallinus L. *die Corallennatter.*
Habitat in Aſia.

COLUBER AMMODYTES.

Coluber Ammodytes L. *der Sandkriecher.*
Habitat in Oriente.

COLUBER LEBETINUS.

Coluber lebetinus L. *die Kupfernatter.*
Habitat in Oriente.

Antidota. In omnibus Colubris Aſiaticis præter antidota generalia radix *mungos* tentanda.

COLUBRI AFRICANI.

COLUBER VIPERA.

Coluber Vipera L. *die Egyptiſche Vippernatter. Aſpis Cleopatræ.*

Habitat in Aegypto. Cæde Cleopatræ, noviſſimæ Aegypti Reginæ celebris. Inde quotannis accerſita Romam pro confectione theriacæ.

COLUBER NIVEUS.

Coluber niveus L. *die Schneeſchlange.*

Habitat in Africa.

COLUBER HAJE.

Coluber Haje L. *die Kropfnatter.*

Habitat in Aegypto inferiore.

Antidota, tententur anticolubrina generalia & ſpecialia.

COLUBRI EUROPÆI.

COLUBER BERUS.

Coluber Berus L. *die Europäiſche Natter. Vipera Rhediana.*

Habitat frequens in Europa. In Germania, Anglia, Italia.

Vis noxia. Pars demorſa cito intumeſcit, ingens languor, anxietas, cardialgia, & vomituritio cum totius corporis emphyſematoſa intumeſcentia & leipothymiis mortem minantur.

Antidota, præter anticolubrina generalia folia *Fraxini* * & *ſpiritus ſalis ammoniaci ſuccinatus*

---

* *Cel.* Montin in *Schwed. Abh.* 26 *Theil* plures Beri morſu læſos foliis fraxini ſanatos refert.

lacteus ſeu *Eau de luce* * laudatur. Axungia viperina & oleum olivarum in morſu Beri nil juvarunt.

VIRTUS MEDICATA. In Germaniæ officinis eſt uſualis pro conficienda theriaca & jure viperino, quæ in virium defectu & variis morbis cutaneis laudantur.

COLUBER PRESTER.

COLUBER Preſter L. *die ſchwarze Engliſche Natter. Vipera Anglicana.*

HABITAT in Europa ſeptentrionali præſertim in Anglia.

VIS NOXIA aliquantum minor, quam præcedentis.

ANTIDOTA. *Oleum olivarum* ſpecifice laudatur.

VIRTUS MEDICATA. In Angliæ officinis adhibetur.

COLUBER CHERSEA.

COLUBER Cherſea L. *die ſchwediſche Natter, die Eſping. Vipera ſuecica.*

HABITAT in Coryletis, aliisque fruticoſis depreſſis Smolandiæ, Scaniæ nec non in ipſo agro Upſalienſi.

VIS NOXIA. Morſus inducit ſymptomata teterrima & mortem.

---

* *Cel.* MARTIN in *Recueil periodique d' obſervation de Medecine* I. vi. p. 412.

ANTIDOTA. Poſt *ſcarificationem* vulneris & *extractionem ſanguinis* inſpergatur vulnus pulvere *cantharidum* atque tegatur emplaſtro veſicatorio, ut ſuppuratio per 2 vel 3 hebdomadas ſuſtineatur. Interne hauriatur magna quantitas *lactis*. * Alii radicem *ſenegæ* ** & folia *fraxini* *** laudant. Oleum olivarum profuit nihil. In emphyſemate totius corporis & febre gangrænoſa optimum forſant erit corpus fimo equino fumante ſufficienter tegre. Ruſtici ſuecici a cherſea in digito manus vel pedis demorſi ſibi digitum illico abſcindunt.

---

* *Ill.* ACRELL in *Schwed. Abhandl.* 40 *Band* p. 99. duos ægrotos cherſea demorſos ſola hac methodo nempe cantharidibus & lacte curavit.

** *Ill.* LINNÆUS *amœnit. acad. vol.* vi *p.* 214. in itinere ſcanico occurrentem habuit feminam ab hac vipera demorſam, obtulit ſtatim oleum olivarum in præſcripta contra anglicam doſi. At infelix mulier rapta eſt. Adducit vero vir Illuſtris exemplum ancillæ ſuecicæ quæ alvi dejiciendæ cauſa ruri pone fruticem ſecedens a ſerpente quodam in ipſis muliebribus vulnerabatur. Hæc ſub graviſſimorum ſymptomatum ſatellitio duabus doſibus ſenegæ convaluit. At non patet certo, an ſerpens hicce Berus vel Cherſea fuit.

*** *Cel.* MONTIN in *Schwed. Abhandl.* 26 foliis fraxini excelſioris cherſea demorſum ſanavit.

COLUBER ASPIS.

COLUBER *Aſpis* L. *die franzöſiſche Natter*, *Vipera gallica* ſeu MOYSIS CHARAS.

HABITAT in Gallia in Delphinatu in agro Lugdunenſi & Pictavienſi.

VIS NOXIA præcedentis.

ANTIDOTA. Alcali volatile *ſimplex*, ut ſpiritus ſalis ammoniaci & *ſuccinatum*, ut ſpiritus ſalis ammoniaci ſuccinatus lacteus. Inde aliquot guttæ vulneri imponuntur & hoc linteolo ſpiritu imbuto tegitur. Interne guttæ 10 in aqua dantur. * *Oleum olivarum* eſt in aſpide inefficax. **

---

* *Cel.* CHARAS in *experiences de la vipere* alcali volatile primus propoſuit. Id peculiari obſervatione confirmavit *Cel.* JUSSIEUR in *Acad. des ſciences* 1747. Spiritum tartari fœtidum ABRAH. BOEK in *Actis ſuecicis* 1748. efficacem deprehendit.

** *Cel.* GEOFFROY & HUNAUD in numeroſis experimentis coram Academia Pariſienſi inſtitutis oleum olivarum deprehenderunt inefficax at videtur quod Aſpidem vel alium colubrum non vero Preſterem vel Berum adhibuerunt pro experimento. *Cel.* POUTEAU vero, qui in Gallia oleum olivarum cum ſucceſſu in quatuor vipera commorſis utile deprehendit, aliam forſan viperæ ſpeciem quam priores academici adhibuerunt.

COLUBER ILLYRICUS.

COLUBER *illyricus.* * *Die Illiriſche Natter. Vipera Italica.*

HABITAT in Illyriæ locis montoſis maxime circa Caſtel de Duino.

VIS NOXIA. Teterrima ſymptomata & mortem inducit.

ANTIDOTA. Radix *gentianæ* & *mercurius gummoſus* cenſentur ſpecifica. Poteſt unum vel utrumque mixtum adhiberi. Sequens formula in cuniculis & catulo a colubro demorſis efficaciſſima fuit deprehenſa. Recipe mercurii vivi depuratiſſimi ʒ ß gummi arabici ʒ ij m. terantur invicem in mortario lapideo guttatim inſtillando aquæ fontanæ ℥ iij in mucum, cui adde extracti gentianæ ℈ ij ſacchari albi ʒ ij m. fiat hauſtus pro una doſi. **

INSECTA VENENATA.

FURIA INFERNALIS.

FURIA *infernalis* L. *der Tollwurm.* Eſt inſectum

* *Cel.* SCOPOLI in *Anno* V. p. 13. hunc colubrum ſic definit; *Coluber ſcutis abdominalibus* 177 *& ſquammarum caudalium paribus* 68. hinc diſtinctus a Col. Bero L. Videtur eſſe *vipera illyrica Cel.* LAURETI. vide ejusdem *ſpecimen reptilium* p. 101.

** *Cel.* LAURENTI l. c. p. 210.

lineam ciliatam, vix duas lineas longam referens. *

Habitat in Bothniæ, Sueciæ ſeptentrionalibus vaſtis paludibus cæſpitoſis.

Vis noxia. Hoc inſectum in Suecia a ſolſtitio æſtivali ad hyemale usque ex äere delabitur & momento citius tum in hominum tum in jumentorum corpora penetrat, atque tam diros excitat dolores, ut miſeri homines quandoque intra horæ quadrantem pereant. Dantur tamen qui diutius durant. Cognoſcitur locus ex ſtigmate exiguo, fuſco, dolentiſſimo.

Antidota. Fenones *lac recenter coagulatum* parti vulneratæ imponunt, ſic dolor remittit & inſectum foras prorumpit: Alii cultro locum incidunt, & animal extrahunt. An inſperſio cantharidum, vel ſublimati non juvaret? Inſperſio ſalis ammoniaci cum pulvere tabaci & loci affecti punctura ope acus ab aliis laudatur. **

CANTHARIS.

Meloe veſicatorius L. *Spaniſche Fliege.*

Odor teterrimus piceus. *Sapor* acris, piceus.

---

* *Nova Acta Upſalienſia. Vol.* I. p. 44. *Furia infernalis & ab ea concitari ſolitus morbus deſcripta* a *D.* Solander.

** *Ill.* Baldinger *neues Magazin* 3 *Band* 1 *St.* p. 73.

Vis noxia. Cantharides interne majori doſi datæ non ſolum ventriculum, hepar & inteſtina inflammant, ſed princeps earum vis in vias urinarias agit, unde præter vomitum & dyſenteriam torminoſam ſtriis ſanguineis notatam, immenſosque dolores ventriculi, præcordiorum & hypochondrii dextri, ſitim, ſaporem piceum etiam penis erectio moleſta, libido immoderata ſeu inſatiabile coeundi deſiderium, ſtranguria, iſchuria, mictus cruentus, inflammatio renum, veſicæ, penis & tandem his ipſis in partibus gangræna, quam mentis alienatio & mors ſequitur,

Antidota. Cantharides adhuc in ventriculo reſidentes emetico & ex inteſtinis purgante antiphlogiſtico eliminentur. Simul ſymptomata lacte, emulſione, oleo, mucilagineo decocto ex ſalep, hordeo, malva, althæa, juſculis pinguibus, ovis ſorbilibus, clyſmatibus & injectionibus mucilagineis, oleóſis, lacteis compeſcantur. Præſertim vero ut antidotum ſpecificum laudatur *camphora*, quæ in lacte vel emulſione cum gummi arabico danda.

Virtus medicata. Uſus *internus* cantharidum in hydrophobia, epilepſia, tuſſi convulſiva,

* *Cel.* Stockar *a* Nevforn *diſſ. de uſu cantharidum interno.* Goettingæ 1781.

morbis cutaneis, hydrope, menoſtaſia, lithiaſi, enureſi, iſchuria renali, iſchuria veſicæ paralytica; diabete, gonorrhoea habituali, typho nervoſc * anaphrodiſia. Sed abſtine a cantharidibus, ſi febris, inflammatio vel plethora hos morbus cauſet vel comitetur. **

Dosis. *Pulveris* granum unum datur in bolo. *Tinctura cantharidum* a guttis x ad xxx bis de die cum ſyrupo altheæ vel mucilagine gummi arabici vel emulſione amygdalina exhibetur, quæ formula commodiſſima eſt.

Emplastrum vesicatorium laudatur in morbis ſeroſis abſente febre, plethora & inflammatione ſanguinea, ut cephalalgia, apoplexia, paralyſi præcipue hemiplexia, epilepſia, vertigine, mania, ophthalmia, amauroſi, morbis aurium, rheumatiſmo, dolore arthritico vero, podagra, aſtmate, tuſſi, incontinentia urinæ *** iſchuria renali. ****

De *uſu cantharidum chirurgico* vide *Pharmacologiam chirurgicam*.

---

* *Cel*. Home *Cliniſche Verſuche* p. 21.

** *Cel*. Stockar l. c.

*** *Cel*. Tralles *uſus veſicantium ſalubris & noxius in morborum medela. Vratislaviæ* 1783, 2 *volumina*.

**** *Sammt. für Aerzte* 3 *B*. 3 *St*. p. 453.

MELOE MAJALIS.

Meloe majalis L. *der Mayenwurmkäfer.*

Habitat in campis apricis.

Vis noxia. Meloe majalis puero 6 annorum propinatus, mortem inducebat, antegreſſa ſumma anxietate, doloribus colicis, convulſionibus, hæmorrhagia narium, mictu cruento, ſanguinis denique excretione per alvum & cutis poros. *

Antidota præcedentis.

Virtus medicata. In morſu canis rabidi ad hydrophobiam avertendam cenſetur ſpecificus.

MELOE PROSCARABÆUS,

Meloe proſcarabæus L. *der Zwitterkäfer,*

Habitat in campis apricis,

Odor nullus; Sapor acris,

Vis noxia præcedentis,

Antidota eadem.

Virtus *medicata* antihydrophobica.** Vermes menſe Majo colligendi, ea cum cautela, ut for-

* *Göttinger gelehrte Anzeigen* 1778. *Zug.* 46 *St.*

** *Illuſtre collegium Medicum Berolinenſe* Anno 1777 juſſu Regis Augustissimi publicavit remedium contra rabiem caninam, quod Ipſe emerat a ruſtico Sileſienſi, *Meloe proſcarabæus* & *Meloe majalis* L.

cipula, leviter absque preſſione, ne exſudans mucilago perdatur, capti, ſtatim ollæ vel vitro melle aliquantum repleto, poſtea bene obturando, immittatur.

Dosis. Adultis omni hora unum granum hujus inſecti cum aliquot granis nitri contriti datur. Continuetur hoc medicamentum, donec urina ſtrangurioſa vel cruenta evadit, ſimul decoctum mucilaginoſum deſuper hauriatur. *

SCORPIO AFFRICANUS.

Scorpio maurus L. *der Affrikaniſche Scorpion.*

Habitat in Affrica.

Vis noxia. Ejus ictum graviſſima ſymptomata, mortemque cauſare itineratores referunt. Scorpionem vero *europæum* eſſe innoxium experimentis demonſtratum eſt. ** Hinc ſymptomata ab ictu europæi illata vel a terrore vel ab ictu grandioris cujusdam nervi eſſe videntur.

---

principem hujus antidoti virtutem continent. Dolendum, hoc remedium non ea ſimplicitate gaudere, quæ in ſpecifico deſideratur, nec plumbum, quod in ejus compoſitionem intrat ad uſum internum tutum videtur. Vide *Ill.* Murray *med. pract. Biblioth.* p. 640.

* *Cl.* Dehne *Etwas über und wider den tollen Hundsbiſs* 1782. p. 68. dicit ſolo hoc inſecto interne dato ſex homines a cane rabido morſos curaſſe.

** *Cel.* Maupertuis in *Academie des ſciences* 1731.

Antidotum eſſe dicitur *oleum ſcorpionum* externe applicatum.

Virtus medicata. Hoc oleum in dolore nephritico & ſupreſſione urinæ illinitur lumbis, perinæo, pubi.

PHALANGIUM ARANEODES.

Phalangium araneodes L. *die Scorpionenſpinne.*

Habitat in Aſia & Ruſſia.

Vis noxia. Morſi præ dolore perpetim clamant, delirant, dein aphonia, riſu ſordonio & æſtu afficiuntur. Pars demorſa præſertim facies vulnerati, intumeſcit, rubet, liveſcit & quidam intra biduum vel triduum moriuntur.*

Antidota. Plurimi intra aliquot dies evadunt, ſi vulnus theriaca tegitur, & idem hoc remedium interne detur.

CULEX LANIO.

Culex Lanio L. *die Viehtödtende Mücke. Die giftige Beiſsfliege.*

Habitat in Ruſſia, in Bannatu Temeſwarienſi.

Vis noxia. Morſu magnum tuberculum excitat. Minimæ hæ muſcæ copioſiſſimæ hominum & animalium intrant anum, narres, fauces, pulmones, quos inflammatione afficiunt, & ſic mortem inferunt. **

---

* *Neue Nordiſche Beyträge.* 2 *Band* p. 346.

** *Loco* mox *citato.* p. 349.

Antidota. Viatores caput reti oleo betulino inuncto tegunt, hujus olei odor etiam his inſectis eſt infeſtus.

SIREX GIGAS.

Sirex Gigas L. *die gröſste Holzweſpe.*

Vis noxia. Hominibus & brutis ſuo ictu tuberculum cauſat, quod intra 24 vel 48 horas mortem infert, ni tuberculum ilico exſcindatur, ut virus excitata ſuppuratione larga effluere poſſit. *

PUPRESTIS.

Puprestis L. *der Stinkkäfer.*

Vis noxia. Deglutitum inſectum mortem induxit. ** Etiam boves aliaque animalia ab hoc deglutito rapiuntur. Eſt enim hujus acrimonia cantharidi ſimilis.

Antidotum. Oleum, vomitorium.

ARANEA DOMESTICA.

Aranea domeſtica L. *die Hauſs-Spinnerin.*

Habitat in feneſtris domuum non diligenter purgatarum.

---

* *Cel.* Glaser *von der Knottenkrankheit unter dem Rindvieh. Leipzig* 1781.

** *Cel.* Monti *mediciniſche Dictata.* p. 24.

Vis noxia. Araneæ punctura inflammationem cauſare dicitur. Nondum vero experimentis fide dignis evictum araneas cum cibo vel potu deglutitas venenata cauſaſſe ſymptomata.

Antidota. Inflammatio ab araneæ punctura ſpiritu ſalis ammoniaci aut eſſentia caſtorei illinita ſanatur.

Virtus medicata. Plebs tela araneæ ſanguinem e vulnere ſiſtere & fumo telæ accenſæ hæmorrhoides dolentes diſſipare ſibi ſolet.

ARANEA TARANTULA.

Aranea Tarantula L. *die Tarantel.*

Habitat in Italia imprimis in Apulia, Barbarie, Oriente.

Vis noxia. Romæ capta experimenta cum tarantulis docent horum morſum excitare dolorem, dein tumorem liveſcentem, paucis poſt diebus cruſta nigricante obſitum; accedit ſomnolentia, cardialgia vel cordis oppreſſio & dein dolores in ſingulis corporis articulis; ſed nunquam ſaltandi vel neceſſitas vel cupiditas demorſos inceſſit.

Tarantismus eſt morbus in Apulia endemius, cujus præcipuum ſymptoma eſt inexplebilis ſaltandi aut choreas agendi cupiditas. Tarantatorum plurimi fatentur ſe a nulla tarantula

demorſos unquam fuiſſe, quantum meminerint. *

Antidota. *Interne* dentur diaphoretica. *Externe* applicetur ſpiritus ſalis ammoniaci.

PULEX PENETRANS ſeu AMERICANUS.

Pulex penetrans L. *der amerikaniſche Flohe.*

Habitat in America.

Vis noxia. Hoc inſectum in America degens vix conſpicuum eſt, cutim peregrinantium maxime in cruribus ſubit, imo quandoque ſub unguibus in cutem penetrat. Intra aliquot dies ſub epidermide magnitudinem piſi acquirit & partem obſeſſam ſubinde ad oſſa usque erodit, ideo venenatus a quibusdam cenſetur.

Antidota. Curatio exigit, ut inſecta hæc quotidie ope cultri acuti ex cute evellantur & locus cinere tabaci combuſti inſpergatur. Ubi vero totum crus his inſectis obſidetur, linteum oleo picis intinctum applicari debet, hoc remedio hæc inſecta cito ſeparantur.

* *Ill.* Sauvages *Noſol.* T. 2. p. 229. & Cel. Büschings *Nachrichten von der Tarantel, welche zur gänzlichen Vertilgung des Vorurtheils von der Schädlichkeit des Biſſes und der Heilung deſſelben durch die Muſik hinlänglich ſind.* *Berlin* 1782.

CULEX

CULEX PIPIENS.

CULEX pipiens L. *der Musqueton.*

HABITAT in America & in Europæ locis aquoſis.

VIS NOXIA. Ictus cauſat tuberculum dolentiſſimum. Advenis in Americam primo anno tot quot ictus oriuntur tubercula; altero autem anno vix amplius ictus nocent. *

ANTIDOTA, theriaca, ſpiritus ſalis ammoniaci.

CULEX PULICARIS.

CULEX PULICARIS L. *die Flochmüke.*

HABITAT in America.

VIS NOXIA. Ictus rubicundam, ardentiſſimam maculam cum tumore infert, diu quandoque durantem. **

ANTIDOTA præcedentis.

APIS MELLIFICA.

APIS mellifica L. *die Biene.*

HABITAT in Europæ arboribus cavis, frequentius culta hoſpitatur in apiariis.

VIS NOXIA. Aculeo venenato pungens infert tuberculum rubrum admodum pruriens. Puer ab agmine apum demorſus peſſima febre inflammatoria corripiebatur.

---

* *Cel.* SCHÖPFF *von der Wirkung des Mohnſafts in der Luſtſeuche. Erlang.* 1781. p. 47.

** *Schwed. Abh.* 34 *Th.* p. 352.

Antidota. Applicatione aquæ frigidæ vel aceti curatur, extracto prius aculeo cuti infixo.

VESPA VULGARIS.

Vespa vulgaris L. *die Weſpe.*

Habitat in Europa frequens ſub tectis.

Vis noxia. Veſparum aculeus guttulam liquidi cujusdam minimam vulnuſculo inſtillat. Pars demorſa paucas intra horas eryſipelatoſo tumore afficitur. *

Antidota. Applicatio aquæ frigidæ vel vegeto-mineralis.

VESPA CRABRO.

Vespa Crabro L. *die Horniſſe.*

Habitat in Europæ arboribus cavis ſeu ſub earum radicibus.

Vis noxia præcedentis.

Antidota præcedentis.

VERMES VENENATI.

GORDIUS MEDINENSIS.

Gordius medinenſis L. *der Hautwurm. Vena medinenſis Arabum* ſeu *Dracunculus Perſarum.* **

* *Cel.* Frize *mediciniſche Annalen* 1 *B.* p. 265.

** *Cel.* Gruner *de vena medinenſi Arabum in Actis Academ. Moguntinæ quæ Erforti eſt. an.* 1777.

Habitat in utraque India frequens in rore matutino.

Vis noxia. Eſt vermis non ſolum circa Medinam & in Perſia ſed etiam in omnibus æſtuoſarum regionum lacubus obvius. In hominum cutem inter lavandum vel ambulandum in aqua lacuſtri ſe inſinuare ſolet. Frequentiſſime crura & ſcrotum occupat. Hic vermis ſæpe ad plurium pedum longitudinem in tela celluloſa hominis, quem afficit, increſcit, muſculorum tractus ſequi amat, ſubinde, quod pejus eſt, oſſa ſerpentis adinſtar amplectitur. Modo unus, modo plures adeſſe deprehenduntur.

Hic vermis per annum in corpore latitat & præter dolorem loci affecti nullum incomodum facit. Non raro autem tumorem rubentem cum febre plurium dierum, quæ nuncia eſt prodituri vermis, excitat. Exſurgit demum in tumore veſica pellucida vel nigricans, ex qua rupta proſilit roſtellum vermis, qui ſenſim magis erumpit, & ita extrahi paullatim poteſt.

Antidota. Curatio exigit, ut tumor cataplaſmate lacteo emolliatur, dein ut erumpentis vermis portio circa ligulam rotetur, ſic intra 10 circiter dies totus vermis, cavendo ne rumpatur, extrahi poteſt. Ulcus extracto verme ut aliud curatur.

D 2

Enormis vermis longitudo, tarda maturatio, implicatio vermis circa oſſa vel muſculos, vermis ruptura curationem longiorem & difficiliorem reddunt, Alii *mercurium* laudant. *

GORDIUS MARINUS.

GORDIUS marinus L. *der Seewurm.*

HABITAT in maris Norvegici piſcibus, frequentiſſimus in viſceribus Clupeæ Halecis intra puſtulam reſidet.

VIS NOXIA. Piſcatorum Norvegicorum lepra ab eſu horum piſcium oriri creditur. **

HIRUDO VENENATUS.

HIRUDO medicinalis L. *der Blutigel.*

HABITAT in aquis dulcibus.

VIS NOXIA. Hirudo medicinalis ex palude impura captus ac cuti applicatus dolorem inflammationemque cauſat. *** Cum aqua deglutitus hirudo etſiamſi ex aqua pura hauſtus ſanguinem e ventriculo ſugens vomitum cruentum, & inflammationem ventriculi inferre poſſe creditur.

ANTIDOTA. Hauſtus ſalis culinaris, olei.

---

* *Ill.* RICHTER *Chir. Bibl.* 5 *B.* 2 *St.* p. 171.

** *Ill.* LINNE *diſſ. de lepra. Vide amœnitat. academ.*

*** *Cel.* SCHMUKER *vermiſchte Schriften* 1 B. p. 86.

TETHYS MARINA.

TETHYS marina L. *der Meerhaſe lepus marinus.* Eſt vermis molluſca.

HABITAT in mari mediterraneo.

VIS NOXIA. Gravidis & hyſtericis ob fœtorem infeſta dicitur eſſe. At peculiare venenum ut quidam opinantur, alere non videtur. *

URTICA MARINA.

MEDUSA æquorea L. *die Seeneſſel, Die Qualle.*

HABITAT in mari.

VIS NOXIA. Eſt zoophytum gelatinoſum, aquæ marinæ innatans, rubellum, quod intenſam oculis & manibus tangentibus uredinem & pruriginem excitat, non ſecus ac urtica vegetabilis, unde vulgo *urtica marina* vocatur.

ANTIDOTA. Spiritus ſalis ammoniaci, oleum, aqua frigida.

AMPHYBIA VENENATA.

RANA BUFO.

RANA Bufo L. *die Kröte.*

HABITAT in Europæ locis nemoroſis & ruderatis umbroſis.

---

* *Cel.* GMELIN T. 3. p. 266. VESPASIANUM hoc verme fuiſſe enecatum vero ſimile non eſſe dicit.

Vis noxia. Urina & ſuccus lacteſcens verrucarum dorſalium cenſetur acris atque venenatus. Caro autem bufonum ſæpe loco ranarum eſculentarum absque noxa comedebatur. *

Antidota præcedentis.

LACERTA GEKO.

Lacerta Geko L. *der Gecko.*

Habitat frequens in Indiis, etiam in domibus.

Vis noxia. Pedibus exhalare venenum in eſculenta, ſuper quibus repit, & Javanos ſaliva hujus lacertæ ſua tela inficere fertur.

Antidota præcedentis.

LACERTA SALAMANDRA.

Lacerta Salamandra L. *der Salamander.*

Habitat in Europa auſtraliori.

Vis noxia. Hoc animal venenatum non eſſe experimenta docuere. **

Salamandram in igne vivere antiquitus ferebatur, at animal e poroſo ſuo corpore lac fundit, quod igne in formam perlæ induratur, quo mors aliquo tempore arcetur.

---

* *Ill.* Spielmann *mat. med.*

** *Cel.* Maupertuis in *Academie des ſciences.*

PISCES VENENATI.

TETRADON OCELLATUS.

TETRADON ocellatus L. *der geſleckte Stachelbauch.*

HABITAT in Aſiæ & Aegypti aquis dulcibus.

VIS NOXIA. Caro eſt venenata. Venenum piſcis acuitur ramulo Illicii decoctioni piſcis addito, quo nefando artificio multi ſibi mortem accelerare dicuntur. *

ANTIDOTUM. Vomitoria. Dein detur rex amaroris. **

TETRADON LINEATUS.

TETRADON lineatus L. *der geſtrichelte Stachelbauch.*

HABITAT in Nilo.

VIS NOXIA. Carnis eſus eſt noxius. Aculei abdominis cenſentur venenati, pungunt urticatione in gangrænam abeunte, ſi cura negligatur.

ANTIDOTUM præcedentis.

TRACHINUS DRACO.

TRACHINUS Draco L. *das Petermännchen.*

HABITAT in Oceano ſeptentrionali.

---

* *Ill.* MURRAY *app. medicam.* T. 3. p. 564.

** *Cel.* RUMPF T. 2. p. 49.

Vis noxia. Piſcis hujus ſpinas dorſales puncturas venenatas inferre ſcribitur. *

PERCA VENENOSA.

Perca venenoſa L. *der Giftbarſh*.

Habitat in America.

Vis noxia. Caro in Anglia cenſetur venenata.

Antidota. Vomitorium, ſuccus citri.

RAJA PASTINACA.

Raja Paſtinaca L. *der Pfeilſchwanz*.

Habitat in Europa.

Vis noxia. Hic piſcis, fato *Ullyſſis* infamis, caudæ aculeo venenato vulnus difficillimæ ſanationis inducere dicitur.

RAJA TORPEDO.

Raja Torpedo L. *der Krampffiſch*, *der Zitterroche*.

Habitat in mari mediterraneo ſinus Perſici.

Vis noxia. Si quis manu piſcem tangit, ingenti ſtupore brachii afficitur.

GYMNOTUS ELECTRICUS.

Gymnotus electricus L. *der Zitteraal*.

---

* *Cel.* Barthol. *Acta Hafnienſ.* Vol. 3. obſ. 48.

HABITAT in Surinamo aliisque Americæ meridionalis oſtiis fluviorum.

VIS NOXIA. Qui hunc piſcem manu vel baculo præſertim cujus manubrium metallicum eſt, tangit, ingenti percuſſione dolorifica ab exeunte *fulmine electrico* afficitur. Imo a majori piſce & cujus vis electrica non ab iterato tactu fuit debilitata homo tangens proſterni ſolet. Hoc piſce in ſcapho conſtituto, digito aquæ immiſſo per 15 pedes ſentitur tremor, hinc natantes a tactu piſcis vel aquæ eum circumdantis commotione electrica percuſſi ſubmergi poſſunt. Si quis piſcem cera ſigillatoria tangit, nullam ſubit percuſſionem brachii. Eſus *carnis* ejus cenſetur ſuſpectus.

SPARUS PAGURUS.

SPARUS Pagurus L. *die Sackfloſſe*.

HABITAT in oceano.

VIS NOXIA. Cenſetur venenatus. *

ANTIDOTA. Emeticum, ſuccus citri.

VENENA EX MORBO ANIMALIS.

MYTILUS VENENATUS.

MYTILUS edulis L. *die Küchenmuſchel*.

---

* *Phyloſophical. Transactionis Vol.* 65. p. 541. *Cel.* ANDERSON *de piſcibus venenatis in mari auſtrali.*

Habitat in oceano.

Vis noxia. Mytili quandoque ex morbo, qui omnibus teſtaceis communis eſt, evadunt *venenati*, hi comeſti anxietatem, convulſionem, tremorem, capitis intumeſcentiam, maculas in cute efflorеſcentes, delirium & febrem producunt,

Antidota ſunt acetum, ſuccus citri, piper præmiſſo vomitorio. * Mytili recentes in aqua ſalita per horam retenti tuto in cibum adhiberi poſſunt. **

OSTREA VENENATA.

Ostrea edulis L. *Auſter.*

Habitat in oceano europæo.

Vis noxia. Oſtreæ eo tempore, quo ova pariunt, innumeris vermiculis rubicundis replentur & ſumme nocent in cibum adhibitæ.

Antidota præcedentis.

OVUM PUTRIDUM.

Ovum gallinæ domeſticæ L. putreſcens, *gefaul-tes Ey.*

Vis noxia. Ova antiqua ut plurimum partim inania & ſubputrida ſunt, hinc pravi odoris & ſaporis. Si valde putreſcunt, vomituriti-

* *Gothaiſche Gel. Zeitung.* 1782. p. 6.

** *Cel.* Scherff *Anzeige der Rettungsmit.* p. 206.

onem, diarrhœam, tormina, anxietates, horripilationem & febrem putridam producunt.

ANTIDOTA præmiſſo vomitorio dentur acida, antiſeptica.

PINGUEDO RANCIDA.

PINGUEDO rancida, ranzige Fette

VIS NOXIA. Ranceſcens pinguedo ventriculo ingeſta in primis viis pyroſin, cardialgiam, colicam, febrem ardentem cauſat. *

ANTIDOTA. Evacuantia, ſaccharum, aër fixus, magneſia aërata.

ANIMAL PUTRIDUM.

ANIMAL putridum, faules Thierfleiſch.

VIS NOXIA. Nihil potentius humores noſtros corrumpit quam putrilago ventriculo vel vulneri ingeſta. Cibus putridus nauſeam, vomituritionem, virium proſtrationem, irritabilitatis deletionem, febrem putridam cauſat. *Tunguſi* & *Baratti* ſagittas ſuas putrida avis carne inficiunt. Lympha ſcorbutica in ventrem effuſa adeo acris fuit, ut chirurgorum digitos excoriaret. **

ANTIDOTA. Ingeſta putrilago vomitorio excutiatur, dein acida, antiſeptica.

---

* *Ill.* GAUBII *inſtitut. pathol.* p. 320.

** *Memoires de l'academ. des ſciences.* 1699. p. 176.

MIASMA LUIS BOVILLÆ.

Eſt virus, quod luem bovillam generat. *Thierſeuchen Gift.*

VIS NOXIA. Homines interdum ſub incauta pecorum ægrotantium medicatione vel a detractione pellis mortuorum, imo etiam coriarios alutam e pellibus demortuorum animalium fabricantes inficit & febrem putridam inflammatoriam cum bullis ichoroſis aut papulis nigris, partem cui inſident, valde inflammantibus excitat.

ANTIDOTA. Interne præmiſſis purgantibus *Elixir Hiærneri* detur. Loca inflammata ceſpite vivo contegi debent. *

VIRUS RABIOSUM.

Eſt venenum ſui generis quod in animalibus præſertim canibus a cauſa adhuc ignota quandoque naſcitur. *Hundswuthgift.*

Solummodo genus caninum animalium ſua ſponte rabioſum fit, homo & reliqua animantia ſola communicatione virus inficiuntur.

---

* *Acta Holm.* 1764. & *Ill.* HARTMANN *ſciagraphia morborum. Aboæ* 1779. p. 140. &c. Ruſticus quidam in ſuecia bono cum ſucceſſu defodit boves & equos ægrotantes in terram levem & ſolutam, arenaque vel humo texit, quo facto animalia intra paucas horas convaluiſſe dicuntur.

CAUSÆ, quæ rabiem canibus inducunt nondum certo cognitæ. Permagnus aëris *calor* vel *frigus*, aut horum ſubitanea *viciſſitudo.* Eſus *carnium putridarum*, potus *aquæ corruptæ*; *fames*, *ſitisque* diu tolerata; potulentorum *fervidorum* aut *gelidorum* æſtuante corpore ingurgitatio; *curſus* velociſſimus diu continuatus. *Salacitas* nimia; *coitus petulantior* aut in œſtro venereo *prohibitus. Ira* nimis commota, vel *triſtitia* canis valida pro cauſa aſſignantur.

Male accuſantur *vermes*, hi enim frequentiſſime in cadaveribus canum etiam non rabioſorum reperiuntur. * Nec *vermiculus ſublingualis* (qui tendinoſa, muſculis vicina, ope telæ cellnloſæ adnexa ſubſtantia eſt, qua longa & tenuis canum lingua firmari & in motibus adjuvari videtur **) catulis non exemptus rabiei cauſa ſtatui poteſt. Hac enim ſubſtantia dudum exſecta rabies tamen obſervata legitur. ***

SIGNA CANIS RABIDI. Naſcente in canibus rabie ſequentia ſigna ſe offerunt. **** Triſtitia, cibi

* *Ill.* VAN SWIETEN in *comment.* §. 1134.

** *Cel.* MORGAGNI *Epiſtol.* 8. n. 35.

*** *Cel.* JAMES *treatiſe on canine madneſſ.* p. 202.

**** *Cel.* UIBERLACHER *diſſ. de hydrophobia. Viennæ* 1783. p. 13.

potusque inappetentia, tardus ſegnisque vocante hero acceſſus; fuga hominum atque amor ſolitudinis latebrarumque; murmuratio, ululatus, nullus autem latratus; ingreſſus languidus ſubtitubans, caput ſomnolentum, nutans, aures, caudaque demiſſæ, oculi triſtes, lachrymoſi; nares muco madidæ, ſtillantes, os apertum, lingua ſordibus obducta. Hic *primus* eſt mali *gradus*, ex quo autem rabies certo prædici nequit, cum eadem ſymptomata etiam in aliis canum morbis obſerventur.

Ex *ſecundo* autem rabiei *gradu* certior hauritur diagnoſis. Hac ſubeunte canis omnem cibum, maxime autem potum averſatur, vocem quamcunque non percipit, neminem ne herum quidem ſuum amplius cognoſcit, oculos nunc flammeos, trucesque contendit rotatve, inquietus eſt, acceſſuros indignatur, accedentes autem mordet; emaciatur, improbe maſticat, ore hiante ſpumat, linguam ſordidam, plumbeamque exſerit, anhelat, aquam & omne aquoſum horret, domicilium, qua data porta fugit; profugus contentis oculis, demiſſa cauda celerrime & recta plerumque via decurrit; amni vel fluvio ſi forte occurrit, territus terga vertit, obvia quæque plerumque invadit, mordet; canes, a quibus odoratu procul certiſſime noſcitur, ſummo terrore incuſſo in fugam conjicit; viribus fractis,

vacillans, ſomnolenti, ebriive inſtar incedit, conſumptis collabitur; collapſus quaſi terræ affixus jacet, raro reſurgit & membra reſoluta trahit, convellitur, moritur.

Alter hicce gradus raro in diem tertium, rariſſime in quartum & ſæpe vix per triginta horas fertur.

Enarrata rabiei phœnomena ſunt ſymptomata *febris acutæ nervoſæ* ſeu febris ſymptomatibus mere nervoſis ſtipatæ.

Si contingat, ut de rabie canis occiſi vel mortui dubitetur, tunc fruſtum carnis elixæ, quod gingivis & ori canis mortui bene affrictum fuit, cani ſano offeratur; hic cum clamore carnem oblatam repudiare, ſi canis mortuus rabidus fuit, ſin minus avide comedere dicitur. Cum autem canes, quidquid cadaver caninum olet, niſi fame coacti reſpuere ſoleant, hinc alii micam panis vulneri inflicto imponunt, inde eam gallinæ propinant, quæ panem vel repudiare vel ab ejus eſu rabida fieri dicitur, ſi canis rabie laboravit.

Modus, quo rabies canum & rabiei communicatio præcaveri poſſit, exigit

1. ut canum non abſolute neceſſariorum *numerus* imminuatur.
2. — *cauſæ* rabiei a canibus removeantur.

3. — canis rabidus in via occurrens ocyſſime *occidatur*, & rabioſi canis domuncula & quidquid ejus ſaliva contaminari potuit, igni ſub dio excitato committatur.

4. — canis cujus valetudo ſuſpecta eſt, *includatur*, & ſi rabie incipiente affectus vidatur, variis remediis antihydrophobicis propinatis tentamina fiant a peritis medicis vel chirurgis, ut virtus horum remediorum certior reddatur.

5. Homo autem ab animale rabido demorſus illico vulnus aqua ſalita, urinave probe eluat, cepam diſciſſam applicet, aut ferro ignito urat & ad medicum vel chirurgum peritum confugiat.

Modi, quibus virus rabioſum homini *communicari* poteſt, ſunt.

1. *morſu* vel leviſſimo etiam animalis vel hominis rabidi.

2. *oſculo*, quo ſaliva venenata hominis ſani ori ingeritur.

3. *lambitu* corporis venenata ſaliva etiam dudum exſiccata infecti.

4. *Adſperſione* ſalivæ venenatæ ad cutim nudam, niſi illico abluatur.

Sedes veneni in ſola ſaliva eſſe videtur. Indubiis enim obſervatis conſtat, carnem, lac, ſanguinem animalis rabidi aſſumi; cutem hydrophobo-

phoborum etiam ſudore madentem tangi, cadavera hydrophoborum aperiri, vulnera inſtrumento, quo animal rabioſum occiſum fuit, infligi; coitum denique celebrari poſſe, quin hydrophobia ſubſequatur. *

Tempus, intra quod *actuoſum* fieri virus communicatum incipit, varium eſt. Nunquam ante primum, raro ante tertium, ſæpe circa octavum, ſæpiſſime circa *quadrageſimum* a veneno ſuſcepto diem hydrophobia comparet. Subinde poſt plures menſes imo annos inopinate erumpit. Eo citius comparet, quo vulnus inflictum glandulis ſalivalibus propius eſt; hinc citius a vulnere faciei, tardius a vulnere artuum. Si canis ſaliva ſub morſu veſtitui deterſa inhæret, adeo, ut dens ſolus & deterſus mordeat, nulla infectio contingit. Acceſſu cauſarum excitantium malum citius erumpit.

Signa rabiei in homine. Vulnera cane rabido inflicta utplurimum cito & facile ſua ſponte conſolidantur. Dum vero virus communicatum actuoſum fieri incipit, plerumque in parte demorſa prima ſigna comparent. Vulneris conſolidati cicatrix prurit, dolet, ardet, rubet, hinc inde elevatur, aſpera & inæqualis

* *Cel.* Uiberlacher l. c. authores hujus ſententiæ allegat.

fit, ſæpe etiam dehiſcit, & rubellani, atramve fœtentem, acrem ſaniem ſtillat, carnem quaſi fungoſam & corrupto ſanguine farctam, labia autem retorida exhibet; ambitus intumeſcit & molleſcit. Simili modo vulnus contagio acturo nondum cicatriſatum mutatur. Si cuidam parti abſque vulnere virus communicatum fuit, hæc dolere & rubere incipit. Circa locum demorſum & vicinia dolores pungentes, preſſorii, vagi, quaſi rheumatici percipiuntur, qui deinde trium, quartuorve dierum ſpatio ad caput usque aſcendunt, vertiginem faciunt & hydrophobiam brevi ſecuturam nunciant. Tunc ſequitur.

Laſſitudo, gravitas, mœſtitia; amor ſolitudinis, inquietudo, frequens leipothymia; ſuſpiria; anxietas; pectoris conſtrictio; reſpiratio difficilis; vox interrupta, tremula, mox acuta, mox gravis; faucium anguſtatio; inappetentia; colica; alvus inordinata; urina aquoſa aut ſponte fluens, aut difficilime mittenda; cutis ſicca, aſpera; facies pallida contracta; frigus continuum, muſculorum tremor, maxillæ inferioris motitatio, aut ad ſuperiorem arcta appreſſio; ſomnus inquietus, inſomniis horrendis, convulſione, rigore aut calore febrili turbatus; pulſus aut immutatus, aut debilis, parvus, inæqualis, intermittens. Hic eſt *primus morbi gradus, die ſtille Wuth*,

quam poſt aliquot dies vel ſeptimanas *ſecundus morbi gradus, die offenbare Wuth*, excipit.

Hoc ſubeunte frigus recedit & calor æquabilis per totum corpus diffunditur, is brevi caput, fauces & locum demorſum tanto ardore afficit, ut ægerrime feratur. Pulſus fortiſſimus & celerrimus fit, hujus febris vehementia ſubinde tanta eſt, ut delirium, convulſiones, apoplexiam & mortem inducat. Subinde nulla febris adeſt, ſed frigus & ſyncope frequens. Tandem ſitis & potus deſiderium accedit, ſed aquæ & omnis aquoſi deglutitio impoſſibilis eſt. Subinde fieri quidem poteſt, ſed inſigni cum difficultate & acerrimo cum dolore. Si ſiti urgente tentatur aquæ hauſtus, horror, anxietas, convulſio furorve ſequitur. Aquæ etiam conſpectus, nomen & quidquid aquæ idæam renovat, res pellucida ut ſpeculum, glacies, vitrum, ſplendidus culter &c. ferri nequit, et tremores muſculorum, faciei diſtorſiones, ſummam reſpirandi anguſtiam &c. creat. Offa autem ſolida plerumque facile, citoque deglutitur, & ſæpe avide commeditur. Ipſa ſaliva, quæ magna copia in os fluit, cum horrore longe exſpuitur. Ineluctabile adſtantes conſpuendi vel etiam mordendi deſiderium ſæpiſſime per vices invadit. Satyriaſis & libidinoſa ſeminis ejaculatio viros, nymphomania fæminas frequenter afficit. Quidam de-

lirant, alii præ anxietate aufugere vel mortem ſibi inferre tentant; aliis tamen mens ſana eſt, adeo ut adſtantibus conſulant, ut a morſu & ſputo ſuo caveant, ut vincula ſibi injici petant. Alii nec lucem nec leviſſimum aëris motum perferre valent, alii bilem nigricantem vomunt, &c. ſpumoſa ſaliva os circumfluit; lingua arida & aſpera ex ore prominet, vox rauca interrumpitur, perit.

Omnia hæc ſymptomata continuo pejora fiunt, tandem corpus vel convulſionibus agitatur, vel ſpaſmo riget vel paralyſi reſolvitur, pulſus vacillat, deficit, reſpiratio ſummo molimine peragitur, ſudor gelidus & viſcidus per totum corpus exit & mors finem miſerrimæ vitæ imponit.

Raro vel nunquam hic morbus, ab acceſſu aquæ metus computando quartum diem excedit. Subinde hydrophobia *periodice* per plures menſes recurrens obſervata fuit. *

CADAVERUM INSPECTIO inflammationem in faucibus vel aliud vitium raro deprehendit, œſophagus valde anguſtus & contractus, uvula in velum introtracta ſpaſmi poſt mortem etiam perſiſtentis teſtimonium præbet hydrophobiam morbum eſſe *mere nervoſum* a viru canino excitatum.

---

* *Cel.* HILDANI *obſ. chirurg. cent.* 1. p. 65. & *Miſcell. cur. dec.* 1. *anni* 9. p. 118.

Curatio hominis ab animale rabido demorſi duplex eſt.

1. *prophylactica* ſeu hydrophobiam arcens.
2. *therapeutica*, ſeu hydrophobiam jam præſentem curans.

Medela prophylactica requirit, ut venenum e vulnere illico auſferatur aut in eo deſtruatur. Aut ſi jam e vulnere abſorptum eſſet, ut antidoto vel iners reddatur vel aptis remediis expellatur.

Ablatio & deſtructio veneni exigit, ut fiat illico.

1. *Elutio vulneris* cum ſale & aceto. *Scarificatio* & *cucurbitæ* applicatio, qua venenum cum ſanguine extrahitur.
2. *Exuſtio vulneris* ope cauterii, vel pulveris pyrii, qui vulnere impleto accenditur, lapidis cauſtici * butyri antimonii.
3. *Abſciſſio* vel *exciſio* partis demorſæ.
4. *Suppuratio* ſex ſeptimanarum, qua virus e vulnere eliminatur. Hæc optime inſperſis cantharidibus, vel unguento cantharidum emplaſtro veſicatorio tecto ſuſtinetur. **

Methodus abſorptum venenum iners reddendi vel expellendi eſt multiplex.

* *Cel.* Mederer *ſyntagma de rabie cannina. Friburgi* 1783. p. 36. &c.

** *Cel.* Schmuker *Ch. Wahrnehmungen.* 2. *Theil.*

1. Methodus *mercurialis*. Interne detur *mercurius gumoſus*, * vel *dulcis* vel *turpethum minerale*. Externe vulnus & ambitus unguento mercuriali deligetur. Vel adhibeantur frictiones more in ſyphiliticis ſolito.

2. — *diuretica*. Interne cantharides, vel earum tinctura, in infuſo corticis peruviani, vel Meloe majalis aut Meloe Proſcarabæus ** aut Nitrum cum oxymelle ſquillitico dentur. Etiam ceparum cru-

---

* Ego feminæ 27 annorum a cane rabido in crure fauciatæ ter de die per 6 ſeptimanas 5 pillulas e mercurio gummoſo dedi, & vulnera unguento digeſtivo cum neapolitano mixto deligavi. Vidi hane fœminam poſt duos annos ſanam adhuc & vegetam. Canis certo rabidus fuit, idem enim momordit venatorem, qui hydrophobus periit. *Frater* Du Choisel inunctionibus mercurialibus, quibus omni decimo die catharticum mercuriale interpoſuit, trecentos ab animali rabido demorſos reſtituiſſe & iisdem binos jam hydrophobos e mortis faucibus eripuiſſe dicit. *Method of treating perſons bit by mad animals* 1765. Interim tamen non infallibile mercurius eſt remedium, nihil enim præſtitit aliquoties. V. Vaughan in *Samml. für pr. Aerzte*, & *Medical* Eſais T. 5. P. 2. p. 590. ubi mercurius hydrophobiam non avertit.

** *Cel.* Stockar *diſſ. de uſu interno cantharid.*

darum eſus * & externa earum applicatio laudatur.

3. *ſudorifera.* Interne exhibeatur belladonna ** moſchus, alcali volatile, acetum, oleum animale Dippelii, cinnabaris, antimonium, camphora, opium, *externe* Balneum tepidum.

4. — *amaricantium.* Amygdalæ amaræ *** Cortex peruvianus *) qui in hydrophobia periodica conducere videtur.

5. — *compoſita.* Optime forſan medemur ſi cum methodo mercuriali, diaphoreticam, diureticam, & antiſpaſmodicam conjungamus. *Pilulæ* ex mercurio gummoſo, pulvere cantharidum, foliis belladonnæ & camphora atque moſcho compoſitæ in hunc finem exhibeantur. Ab aliis laudatur *Arcanum* WERLHOFII **) *Pulvis*

---

* *Gazette ſalutair* 1773. n. 8.

** *Ill.* RICHTER *Chir. Biblioth.* 5. *B.* 2 *St.* *p.* 377.

*** *Cel.* THEBESIUS in N. A. N. C. T. I. p. 181. duodecim exemplis laudat amygdalas amaras mane per unam vel alteram hebdomadem comeſtas.

*) *Cel.* HOOGWERFF *diſſ. de hydrophobia. Lugd. Patav.* p. 22.

**) Eſt ſequens. R. cantharid. gr. I. mercurii dulcis gr. iβ turpethi mineralis gr. β camphoræ gr. x mucilag. gummi tragacanth q. s. ut fiant pillulæ,

chinenſis * *Pulvis antilyſſus* ** MEADII.

THERAPIA HYDROPHOBIÆ. Si curatio prophylactica aut non aut fruſtra adhibita fuit, atque hydrophobia jam revera accedat, tunc

1. Vulnus clauſum cauſtico vel ſcarificatione aperiatur & apertum inſperſo pulvere cantharidum & unguento mercuriali pulvere cantharidum animato in magnam ſuppurationem deducatur.
2. Interne detur *bolus* e cortice peruviano, mercurio gummoſo, opio, moſcho & ſale cornu cervi. Simul fiant frictiones mercuriales ad levem ſalivationem usque. Sic aliqui ſaltem e multis evaſere.

VIRUS VARIOLOSUM.

Eſt virus ſui generis, quod *variolas* inducit. *Pockengift*

Ex Aegypto, ut communi miaſmatum ſentina ſæculo VI hauſtum, una cum religione Mahumedana per Aſiam & Affricam diſſeminatum, per

---

quæ ſumantur pro doſi & repetantur per ſex ſeptimanas ſingulis diebus. *Cel.* WICHMANN *diſſ. de inſigni venenorum quorumdam efficacia.*

* Ex 40 cinnabaris & ſedecim moſchi granis conficitur, quæ doſis per 30 dies exhiberi debet. *Phyloſ. Tranſact.* 1750.

** Eſt muſcus caninus cum tertia piperis parte. Doſis drachma una. *Philoſoph. Tranſact.* n. 237.

milites crucigeros ex terra ſancta ſæculo XII in Europam & inde per Hyſpanos ſæculo XV in Americam translatum, nunc per orbem univerſum propagatur.

Vis noxia contagium ſolo attactu vel inoculatione propagatur. Verum hoc miaſma a ſolis diſpoſitis ſuſcipitur; ſunt autem ad hanc ſuſceptionem omnes homines variolas nondum paſſi, diſpoſiti, exemptis valde paucis, cujus ratio nondum patet. Rari ſunt homines, qui bis variolis veris laborant.

Antidota. Quæ miaſma hoc redderent iners nondum certo cognita. In mercurio, moſcho, ſtibio, camphora a quibusdam quærebatur. *Inoculatio* mitiores & pauciores ut plurimum generat variolas quam infectio naturalis.

VIRUS MORBILLOSUM.

Eſt virus ſui generis quod *morbillos* generat. *Maſerngift.*

Etiam ex Aegypto nobis adlatum fuiſſe cenſetur.

Antidota certa adhucdum nobis non nota.

VIRUS SCARLATINUM.

Eſt virus ſui generis quod *ſcarlatinam* cauſat. *Scharlachgift.*

Vis noxia. Homines ſolummodo diſpoſitos & raro bis aggreditur.

Antidota nondum nota.

VIRUS SCABIOSUM,

Eſt virus ſui generis, quod *ſcabiem* generat. *Kräzengiſt.*

Vis noxia. Homines diſpoſitos ſæpius aggredi ſolet.

Antidota. Primarum eſt ſulphur, & radix hellebori albi. *Unquentum* ex anaticis partibus florum ſulphuris, vitrioli albi & olei laurini ſcabiem humidam certo curat, ſi fabæ magnitudo quotidie volis manuum bis infricetur. *

VIRUS VENEREUM.

Eſt virus ſui generis, quod *morbos venereos* inducit. *Luſtſeuchgiſt.*

Claſſis *CHRISTOPHORI COLUMBI* anno 1493 hoc virus ex inſulis Americanis in Europam tulit. Hominem data occaſione ſæpius aggreditur. **

Antidota. Unicum & certiſſimum eſt mercurius ejusque præparata.

VIRUS PLICOSUM.

Eſt virus ſui generis, quod *Plicam polonicam* cauſat. *Wichtelzopfgiſt.*

---

* *Cel.* Jasser in Schmuker *vermiſchte Schriften* 3. B. p. 169.

** Vide *Doctrinam* meam *de morbis venereis. Viennæ* 1779. p. 16 & 17.

ANTIDOTA. Specificè laudatur *lycopodium clavatum.* *

VIRUS CANCROSUM.

Eſt virus ſui generis, quod in *cancro* latet. *Krebsgift.* **

ANTIDOTA. Adhuc nullum certum; in *conio maculato*, in *arſenico citrino* quidam quæſivere. ***

VIRUS LEPROSUM.

Eſt virus ſui generis, quod *lepram* generat. *Ausſazgift.*

ANTIDOTA. Specifice laudatur *ledum paluſtre* ſeu *Roſmarinus ſylveſtris.* *)

VIRUS PESTILENTIALE.

Eſt virus ſui generis, quod *peſtem* generat. *Peſtgift.*

ANTIDOTA. adhuc nulla cognita. *Spiritus ſulphuris* & frictiones *glaciales* carbunculorum comendantur. **)

---

* *Cel.* GABRIEL *diſſ. de plica polonica. Budæ* 1780. p. 76.

** *Cel.* PEYRIHLE *diſſ. de cancro.* p. 31.

*** *Cel.* RONNOW *in Schwed. Abh. für das Jahr* 1778.

*) *Schwed. Abh.* 41 *Band* p. 194.

**) *Cel.* SAMOILOWITZ *Lettre ſur les experiences des frictions glaciales pour la gueriſon*

VIRUS MORBORUM PUTRIDORUM.

Eſt virus ſui generis, quod *morbos putridos* generat. *Gift fauler Krankheiten.*

Vis noxia. Aegroti febre putrida, vulnere gangrænoſo, ſcorbuto putrido, dyſenteria putrida, aut phthiſi conclamata laborantes tantum exhalant fœtorem, ut ægrorum atmoſphæra non ſolum quam maxime fœtens obſervetur, ſed etiam ut lecti & omnes res ægrum circumſtantes longo tempore miaſmate putrido inquinatæ ſanos etiam homines inficiant. *

Linteum carptum, quod vulneri gangrænoſo jam ſemel incubuit & elotum iterum vulneri applicatum, aut linteum ab ægrotis in noſocomio putrido carptum vel diu in aëre putrido noſocomiali detentum in ſaniſſimo etiam vulnere gangrænam humidam lentam producere dicitur. **

Antidota. Acetum; ſed vide *aër putridus* in claſſe venenorum halituoſorum.

de la peſte. a Paris 1781. & ejusdem *Memoire ſur l'inoculation de la peſte avec la deſcription de trois Poudres fumugatives antipeſtilentielles. a Straspurg* 1782. p. 25.

* *Cel.* Evers *diſſ. in contagium phthiſicum inquirens. Göttingæ* 1782.

** *Oeures de* Pouteau *Tome* III. & *Ill.* Richter *chirurg. Biblioth.* 7. *B.* 2. *St.* p. 385.

VENENA
EX
REGNO VEGETABILI.

ELENCHUS
VENENORUM VEGETABILIUM.

De venenis vegatabilibus generatim.

VENENA NARCOTICA.

Papaver ſomniferum, *ſchlafmachender Mohn.*
Opium, *Mohnſaft*, *Opium.*
Phyſalis ſomnifera, *ſchlafmachende Judenkirſche.*
Solanum lycoperſicum, *Liebesäpfel.*
——— mammoſum, *Jungfernbrüſte.*
——— inſanum, *Tollapfel.*
——— Dulcamara, *Bitterſüſs.*
——— nigrum, *ſchwarzer Nachtſchatten.*
Atropa Mandragora, *Alraun.*
Datura Stramonium, *gemeiner Stechapfel.*
——— Metel, *weiſſer Stechapfel.*
——— ferox, *ſcharfer Stechapfel.*
——— Tatula *blaulichter Stechapfel.*
Hyoſciamus niger, *ſchwarzes Bilſenkraut.*
——— albus, *weiſſes Bilſenkraut.*
——— phyſalodes, *ſibiriſches Bilſenkraut.*
——— ſcopolia, *ſchlafmachendes Bilſenkraut.*
Azalea pontica, *gelber Roſenlorbeer.*
Antirrhinum Orontium, *Oront.*
Actæa ſpicata, *Chriſtophskraut.*

Lolium temulentum, *Sommerlolch. Tollkorn.*
Ervum Ervilja, *giftige Erven.*
Lathyrus Cicera, *purpurrothe Platterbſe.*
Peganum Harmela, *gemeiner Harmel.*
Chænopodium hybridum, *unächter Gänſefuſs.*
Taxus baccata, *Taxbaum.*
Chelidonium glaucium, *eiſengraues Schölkraut.*
Lactuca ſcariola, *wilder Lattich.*
——— viroſa, *giftiger Lattich.*
Prunus Lauroceraſus, *Kirſchlorbeerbaum.*
Paris quadrifolia, *Einbeer.*

NARCOTICO-ACRIA.

Hippomane Mancinella, *gemeiner Manchinelbaum.*
——— biglanduloſa, *lorbeerblättricher Manchinelbaum.*
Meniſpermum Cocculus, *Fiſchkörner,*
Coriaria myrtifolia, *myrtenblättricher Gerberſtrauch.*
Strychnos Nux vomica, *Krähenaugen.*
——— colubrina, *Schlangenholz.*
Ignatia amara, *Ignatiusbohne.*
Nerium Oleander, *Oleander.*
Atropa Belladonna, *Wolfskirſche.*
Nicotiana Tabacum, *gemeiner Tobak.*
——— ruſtica, *Bauerntobak.*
——— panicula, *Jungferntobak.*
——— glutinoſa, *Soldatentobak.*
Bryonia alba, *Zaunrübe.*

Chæro-

Chærophyllum ſylveſtre, *wilder Kälberkropf.*
——— bulboſum, *bolliger Kälberkropf.*
——— temulentum, *berauſchender Kälberkropf.*
Aethuſa Cynapium, *Geiſſe.*
Sium latifolium *breitblätterichter Waſſermerk.*
Cicuta viroſa, *Waſſerſchierling.*
Conium maculatum, *geflekter Schierling.*
Mercurialis perennis, *beſtändiges Bingelkraut.*

FUNGI VENENATI.

Agaricus muſcarius, *Fliegenſchwamm.*
——— integer venenatus, *Gifttaubling.*
——— lactifluus venenatus, *Giftbrätling.*
——— viſcidus, *Schmerling.*
——— piperatus, *Pfefferſchwamm.*
——— fimetarius, *Miſtſchwamm.*
——— puſtulatus, *warziger Schwamm.*
——— Necator, *Mordſchwamm.*
——— ſanguineus, *blutrother Schwamm.*
——— viſcidus, *klebrichter Schwamm.*
——— clypeatus, *ſchildförmiger Schwamm.*
Boletus verſicolor, *der bunte Löcherſchwamm.*
——— elegans, *der zierliche Löcherſchwamm.*
Boleti paraſitici, *die ſchmarozende Löcherſchwämme.*
Phallus impudicus, *der unverſchämte Gichtſchwamm.*
——— Mukuſin, *die chineſiſche Morchel.*
Lycoperdon carcinomalis, *die Krebstrüfel.*
Fungi Venenati nondum determinati.

VENENA ACRIA.

Delphinia Staphiſagria, *Lauſsſaamen.*
Semen Sabadilli, *Sabadillſaamen.*
Rhododendron cryſanthum, *ſibiriſche Schneeroſe.*
Fritillaria imperialis, *Kaiſerkrone.*
Colchicum autumnale, *Zeitloſen.*
Pedicularis paluſtris, *Lauſekraut.*
Digitalis purpurea, *Fingerhutblume.*
Lobelia ſiphilitica, *Luſtſeuchlobelie.*
——— longiflora, *langblümige Lobelie.*
Cyclamen europæum, *Schweinsbrod.*
Plumbago europæa, *Zahnwurz.*
Convolvulus Scamonea, *Purgierwinde.*
Cucumis Colocynthis, *Coloquinten.*
Momordica Elaterium, *Eſelskürbſe.*
Cambogia Gutta, *Gummiguttabaum.*
Cerbera Ahovai, *Schellenbaum.*
——— Manghas, *Herzbaum.*
Cynanchum erectum, *aufrechter Hundswürger.*
——— vimiale, *blattloſer Hundswürger.*
Apocynum Androſæmifolium, *canadiſcher Hundekohl.*
——— canabinum, *virginiſcher Hundekohl.*
——— venetum, *venetianiſcher Hundekohl.*
Aſclepias gigantea, *groſſe Aeſculapspflanze.*
Hydrocotile vulgaris, *Sumpfnabelkraut.*
Oenanthe fiſtuloſa, *hohlröhrichte Rebenholde.*
——— crocata, *ſafrangelbe Rebenholde.*

Scandix infeſta, *ſchädlicher Kerbel.*
Thapſia fœtida, *wilder Turbith.*
Aliſma Plantago aquatica, *Waſſerwegerich.*
Clematis Vitalba, *gemeine Waldrebe.*
——— Flamula, *Brennwurzel.*
——— erecta, *gerade weiſſe Waldrebe.*
——— integrifolia, *gerade blaue Waldrebe.*
Anemone palmata, *gelbe Anemone.*
——— Pulſatilla, *gemeine Küchenſchelle.*
——— pratenſis, *ſchwärzlichte Küchenſchelle.*
——— narciſſiflora, *Anemone mit Narciſſenblumen.*
——— nemoroſa, *Waldanemone.*
——— ranunculoides, *Hanenfuſsartige Anemone.*
Helleborus albus, *weiſſe Nieſswurz.*
——— niger, *ſchwarze Nieſswurz.*
——— fœtidus, *ſtinkende Nieſswurz.*
Veratrum nigrum, *ſchwarzrothblumige weiſſe Nieſswurz.*
Caltha paluſtris, *Dotterblume.*
Aconitum Napellus, *blaues Eiſenhütchen.*
——— Cammarum, *Bergſturmhut.*
——— lycoctonum, *gelbes Eiſenhütchen.*
——— Anthora, *Giftheil.*
Paſtinaca ſativa, annoſa, *alter Paſtinack.*
Polygonum Hydropiper, *Waſſerpfeffer.*
Sælanthus quadragonus, *viereckige arabiſche Winde.*
——— glandulofus, *arabiſche Winde mit eſsbaren Beeren.*
——— Forskalii, *Forskals arabiſche Winde.*

Jatropha curcas, *americaniſcher Brechnuſsbaum.*
——— multifida, *franzöſche Purgiernuſs.*
——— manihot, *caſſava. Manihot.*
Ricinus communis, *gemeiner Wunderbaum.*
Phytolaca decandra, *virginiſche Phitolacke. Alkermes.*
Croton Tiglium, *molucaniſcher Purgierholzbaum.*
Daphne Mezereum, *gemeiner Kellerhalſs.*
——— Thymelæa, *Seidelbaſt.*
——— Laureola, *immergrüner Kellerhalſs.*
——— Cneorum, *ſchweizeriſcher Kellerhalſs.*
——— Gnidium, *italieniſcher Kellerhalſs.*
Cneorum tricoccum, *Zeiland.*
Amyris troxifera, *Giftbaum.*
Rhus Vernix, *Firnisbaum.*
——— radicans, *wurzelnder Sumach.*
——— Toxicodendron, *eichenblättrichter Giftbaum.*
Scilla maritima, *Meerzwiebel.*
Excæcaria agallocha, *blindmachender Baum.*
Anacardium occidentale, *abendländiſche Elephantenlausbaum.*
——— orientale *morgenländiſche Elephantenlaus.*
Caryota urens, *brennende Palme.*
Arum maculatum, *gemeine Aronswurz.*
——— Dracunculus, *Schlangenkraut.*
——— Dracontium, *americaniſche Aronswurz.*
——— Colocaſia, *ægyptiſche Aronswurz.*
——— eſculentum, *eſsbare Aronswurz.*

Arum virginicum, *virginiſche Aronswurz.*
—— arboreſcens, *Aronsbaum.*
—— ſeguinum, *Aronswurz mit blätterloſen Blumen.*
Calla palluſtris, *Sumpf-Calla.*
Euphorbia officinalis, *gemeines Euphorbium.*
——— antiquorum, *wahre Euphorbie.*
——— canarienſis, *canariſches Euphorbium.*
——— Tirucalli, *oſtindiſches Euphorbium.*
——— Peplus, *runde Wolfsmilch.*
——— lathyris, *Springkörner.*
——— helioſcopia, *Sonnenwolfsmilch.*
——— verrucoſa, *warzigte Wolfsmilch.*
——— platyphyllos, *breitblätterichte Wolfsmilch.*
——— Eſula, *kleine Wolfsmilch.*
——— Cypariſſias, *Cypreſſenwolfsmilch.*
——— palluſtris, *Sumpfwolfsmilch.*
——— hiberna, *irrländiſche Wolfsmilch.*
——— characias, *franzöſiſche Wolfsmilch.*
——— amygdaloides, *kleine Wolfsmilch mit Mandelblättern.*
——— ſylvatica, *Waldwolfsmilch.*
——— exigua acuta, *kleine Steinwolfsmilch.*
——— mauritanica, *mauritaniſche Wolfsmilch.*
——— nerifolia, *Wolfsmilch mit Oleanderblätter.*
Ranunculus ſceleratus, *Gifthahnenfuſs.*
——— Thora, *ſchweizeriſcher Hahnenfuſs.*
——— Flamula, *kleiner Sumpfhahnenfuſs.*
——— Lingua, *groſſer Sumpfhahnenfuſs.*
——— ficaria, *Scharbockskraut.*

Ranunculus illyricus, *illyriſcher Hahnenfuſs.*
——— bulboſus, *Rübenhahnenfuſs.*
——— alpeſtris, *Alpenhahnenfuſs.*
——— polyanthemos, *blumenreicher Hahnenfuſs.*
——— acris, *brennender Hahnenfuſs.*
——— arvenſis, *Ackerhahnenfuſs.*
——— gramineus, *grasartiger Hahnenfuſs.*
——— aſiaticus, *Ranunkel.*
——— aquatilis, *Waſſerhahnenfuſs.*
——— platanifolius, *Ahornblätterichter Hahnenfuſs.*
——— Breynius, *breyniſcher Hahnenfuſs.*
——— Sardous, *Eppichblätterichter Hahnenfuſs.*
Raphanus Raphaniſtrum, *Ackerrettig.*
Secale cornutum, *Mutterkorn.*
Uſtilago frumenti, *der Kornbrand.*
Caries frumenti, *der ſchwarze Mehlthau.*
Rubigo frumenti, *Kornroſt.*

VENENA GLUTINOSA.

Gluten aucuparium, *Vogelleim.*
——— viſci querni, *Eichenmiſtelleim.*
Fungus Cynosbatos, *Hagebuttenſchwamm.*
Spongia marina, *Baadſchwamm.*

DE VENENIS VEGETABILIBUS GENERATIM.

Vegetabilia, quæ ventriculo ingeſta aut corpori externo applicata in doſi exigua gravem morbum vel ipſam mortem inducunt, *venenata* dicuntur.

Reſpectu eorum *indolis* dividuntur

in *narcotica*.

— *narcotico - acria*.

— *acria*.

— *glutinoſa*.

DE VENENIS NARCOTICIS GENERATIM.

Vegetabilia, quæ nervos & cerebrum vi narcotica ſtupefaciunt, ſomnolentiam, ſtuporem, fatuitatem, delirium inducunt, *narcotica* dicuntur.

Medela exigit, ut venenum adhuc in ventriculo vel in inteſtinis hærens *emetico* ejiciatur. In hunc finem ilico detur.

Radix ipecacuanhæ, vel *tartarus emeticus*, deſuper bibatur multum *aquæ tepidæ*, in qua *butyrum* vel *oleum* defluxit. Et *irritentur* fauces ope digiti vel plumulæ oleo madidæ.

Si vero ventriculus omni ſenſilitate & irritabilitate jam orbus & *paralyticus* deprehenditur, detur *vitriolum album*, ad grana X vel XV, quod ſæpe, dum reliqua fallunt, cito emeſim movet.

Si vero pharynx & oeſophagus adeo ſpaſmo contractus, ut nihil deglutire poſſit, inveniatur, tunc vomitorium ope *tubi metallici* demitti debet.

Demum ſi cerebrum & facies a ſanguine in caput congeſto turgeant Venæ ſectio, hyrudines collo & temporibus, ſynapiſmi plantis pedum applicata proderunt. Tandem dentur.

ANTIDOTA ANTINARCOTICA, qualia ſunt.

1. *Acida*. Acetum, ſuccus citri, ſpiritus vitrioli aqua dilutus.
2. *Coffeæ infuſum ſaturatum*. *

* *Cel.* PERCIVAL *med. Eſſays Vol.* 2. *p.* 128. Id turcarum & arabum exemplo docet. Medico ex 18 guttis laudani liquidi cum tribus cyathis infuſi ſaturati coffeæ hauſti prohibebatur ſomnus, qui vero ſub alio experimento omiſſa coffea rediit. *Idem. phyſ. & med. Eſſ.* p. 269.

3. *Ipecacuanha;* duo grana opii & totidem ipecacuanhæ non alium effectum, quam largum ſudorem excitant. *

4. *Enemata* ex aceto, caſtoreo, vel ſapone.

5. *Veſicantia* nuchæ applicata.

6. *Vinum.* **

7. *Sal alcalinum* *** vel *borax.*

PAPAVER SOMNIFERUM.

PAPAVER *ſomniferum* L. *Schlafmachender Mohn.*

ODOR foliorum, caulium & capitum debilius narcoticus, opio congruens. SAPOR herbaceus. Capſulæ ſeu capitula ſauciata lac amarum viroſi odoris emittunt. Recentia exſiccatis efficacià narcoticà antecellunt.

VIS NOXIA. Unius capituli eſus mortem, *) potus

* *Ill.* MURRAY *app. m. Vol.* I. *p.* 539. Puella, quæ ſcrupulum circiter opii ingeſſit, etiamſi ſopore, convulſionibus, ſpaſmiſque diriſſimis corriperetur, ſolo ipecacuanhæ uſu repetito ſervata fuit.

** *Cel.* LORRY in *recuel periodique* p. 73. Recenſetur maniaci exemplum, per opii uſum in ſummum furorem delapſi, cui vinum quietem conciliavit.

*** *Götting, Gel, Nachrichten* 1780. *St.* 104. p. 844.

*) GROSE *Voyage aux Indes orientales, traduit de l'Anglois. Paris* 1758. *p.* 193.

decocti eum capitulis aliquot papaveris cocti inſaniam rixoſam, dein cum ſummo gaudio voluptuoſam, quæ ſtupiditatem mentis relinquebat, induxit. * Exhalatio papaveris in cubiculo clauſo congeſti aſphyxiam cum facie liveſcente, qua evanida tremor & tabes remanſit, cauſabat. **

Sed petala florum & ſemina alba, nigrave capſularum omni vi narcotica deſtituuntur & absque noxa aſſumi poſſunt.

Antidota. Vomitorium, dein acida & alia antinarcotica.

Virtus medicata. In Perſia capitula papaveris una cum ſeminibus *decocta* in thermopoliis ad gratam inebriationem conciliandam bibuntur. Ex decocto capſularum nondum perfecte maturarum *ſyrupus papaveris albi* conficitur, qui vi anodyna tuſſim, pervigilium & morbos ſpaſmodicos ad ℥ ß datus ſopit.

Cataplasma vel *fomentum* e capſulis papaveris paratum ad ſomnum conciliandum, ad eryſipelas & alios tumores inflamatorios diſcutiendos adhibetur.

---

* Chardin *Voyage en Perſe. Amſterd.* 1711. B. II. p. 68.

** Chardin l. c. B. I. p. 12. præſertim ſub collectione & coctione ſucci id contigit.

OPIUM.

Eſt ſuccus reſinoſo-gummoſus ex inciſo capite PAPAVERIS *ſomniferi* L. exſtillans, inſpiſſatus. *Mohnſaft.*

ODOR opii orientalis validus, narcoticus. SAPOR nauſeoſus, amaricans, acris, caloris ſenſu labia, linguam, palatum adficiens.

VIS NOXIA. Opium *minori* doſi exhilarat, inebriat, vires vitales nempe cordis & arteriarum motum accelerat, ad venerem cum erectione penis ſtimulat, diaphorheſin cum pruritu cutis auget, alvi & reliquas excretiones ſupprimat. At *majori* doſi vires vitales augendo ſimul ſenſuum & motuum muſcularium organa ſtupefacit, ita ut tactus, viſus, auditus inde ſublati exempla legantur. Sanguinem in encephalum congerit, inde delirium, convulſio, ſpaſmi vel paralyſes, penis erectio * demum ſub apoplexia vel lethargo ſequitur mors.

Cadaver juvenis, qui ex drachma una opii ingeſta obiit; paullo poſt mortem tumores

---

* Erectio etiam in prælio trucidatis militibus Turcis, qui opium ſumſerunt perſtitit. *Eph. N. C. D.* I. *Ann.* 2. *obſ.* 69. *p.* 127. Nimia contra doſis ad veneris exercitium viros ineptos reddit.

lividos artuum & intolerabilem fœtorem exhibuit.

Gentes orientales, quibus Muhamedis religio vini uſum interdicit, quæ in quotidianum delicium opium aſſumunt adeo, ut ſenſim a grano ad drachmam quotidie deglutire aſſueſcunt, paullatim emaciantur, deperdunt appetitum, melancholici, languidi, ſtupidi, ſomnolenti, taciturni redduntur, Demum memoriæ abolitio, ſenium præcox & mors præmatura ſequuntur.

Vis noxia externa. Ab opii granis iv, clyſmati additis æternum dormire viſus eſt æger. * Emplaſtrum opiatum temporibus applicatum furorem, ſpaſmosque oris creavit. **

Antidota. Eadem, quæ generatim in venenis narcoticis ſuaſimus

Virtus medicata. In exigua doſi eſt egregium remedium anodynum, ſomniferum, antiſpaſmodicum; antemeticum, antidiarrhæicum, cardiacum. Unde in morbis dolorificis, ſpaſmodicis, evacuatoriis ut vomitu, diarrhæa, &c. in febribus intermittentibus, in agrypnia, in gangræna ſicca, in morbis venereis lauda-

* *Ill.* Gaubii *de meth. concin. form. Lugd. Bat.* 1767. p. 420.

** *Cel.* Monroo in *Eſſais and. obſerv. phyſ. & lit. vol.* 3. p. 297.

tur. Sed plethora, inflammatio, & ſaburra in mox dictis morbis abſint oportet. Vide *pharmacologiam chirurgicam* & authores qui de materia medica ſcripſerunt. *

PHYSALIS SOMNIFERA.

PHYSALIS ſomnifera L. *Schlaſmachende Judenkirſche.*

VIS NOXIA. *Radix* vi ſomnifera, opio tamen mitiore pollet. *Fructus* urinam vehementer movet.

ANTIDOTA. Antinarcotica adhibeantur.

VIRTUS MEDICATA. Tentetur in hydrope.

SOLANUM LYCOPERSICUM.

SOLANUM Lycoperſicum L. *Paradeiſsapfel. Liebesäpfel. Pomum Amoris.*

ODOR fructus nullus. SAPOR acidulus, nauſeoſus.

VIS NOXIA. Fructus liberalius ingurgitatus aphoniam & apoplexiam inducere dicitur. **

ANTIDOTA. Vomitorium, dein antinarcotica.

VIRTUS MEDICATA. Fructus ab Italis ſale & pipere conditus vel coctus editur. Ego centies fructum in embemma coctum absque noxa comedi.

---

* Inter quos princeps eſt *Ill.* MURRAY *app. med. vol.* 2. p. 215.

** *Cel.* BAUCHINUS.

SOLANUM MAMMOSUM.

SOLANUM mammoſum L. *Jungfernbrüſte.*

VIS NOXIA. Fructus cenſentur venenati. At experimenta deſiderantur.

VIRTUS MEDICATA non nota

SOLANUM INSANUM.

SOLANUM inſanum L. *Tollapfel.*

VIS NOXIA. Etiam hujus ſolani fructus dicuntur venenati; nulla autem certa obſervatione evinci id poteſt.

VIRTUS MEDICATA non nota.

SOLANUM DULCAMARA.

SOLANUM Dulcamara L. *Bitterſüſs. Alpranke.*

ODOR foliorum recentium fœtidus. SAPOR herbaceus; in *ſtipitibus* vero & *radice* amaricans, poſtea dulceſcens.

VIS NOXIA. *Baccæ* vomitum movent & violenter purgant. Largior ſtipitum uſus initio antequam ventriculus aſſuevit, nauſeam, vomitum, imo convulſiones, deliria & paralyſin linguæ excitavit. *

ANTIDOTA. Vomitorium & antinarcotica.

---

* *Ill.* LINNE *diſſ. de Dulcamara.* p. 9. & 10. & *Cel.* DE HAEN *rat. med.* V. IV, p. 247.

Virtus medicata. Decoctum ſtipitum eſt reſolvens, ſanguinem depurans, omnes ſecretiones augens atque antiſcorbutica & antivenerea. Utile fuit deprehenſum in rheumatiſmo, ſcorbuto, lue venerea inveterata, arthritide, herpete, tophis venereis, tumoribus lacteis, in ſcabie, oedemate eryſipelaceo, in ulceribus crurum. *

Dosis. Stipitum ℥j ſenſim aſcendendo ad ℥ij in aquæ ℔iß coquantur ad remanentiam ℥viij. Hoc decoctum quotidie cum lacte dilutum vaſculatim bibatur.

SOLANUM NIGRUM.

Solanum nigrum L. *ſchwarzer Nachtſchatten.*

Odor herbæ teter. Sapor herbaceus.

Vis noxia. Effluvia ſomnum excitaſſe dicuntur. ** Ex baccis comeſtis tres infantes deliriis, cardialgia, & miris membrorum diſtorſionibus vexabantur. *** Ex eſu foliorum loco oleris matri & 4 infantibus intumuit facies cum artubus ſub ardore intolerabili, & accedente gangræna, marito tamen, qui pariter hanc

* Vide *pharmacologiam chirurgicam* p. 390.

** *Cel.* Boccone *Muſeo di fiſ.* p. 284.

*** *Cel.* Wepfer *de cicut.* p. 226.

eſcam ingeſſit manente ſano. * Quidam vero authores ſucci drachmas tres variis ſubjectis absque malo effectu dediſſe narrant. **

Antidota ſint antinarcotica.

Virtus medicata. In ulceribus cancroſis. Vid. *Pharmacologiam chirurgicam.*

ATROPA MANDRAGORA.

Atropa Mandragora L. *Alraun.*

Odor radicis fortis, ingratus. Sapor amarus, nauſeoſus.

Vis noxia. Radix ſtuporem, ſomnum, ingentem laſſitudinem & mentis alienationem inducit; in majori doſi eſt emetico-draſtica.

Antidota. Vomitorium dein antinarcotica.

Virtus medicata. Pulvis radicis cum melle vel lacte in linimenti conſiſtentiam redactus, eſt egregium reſolvens tumorum induratorum & venereorum. ***

DATURA STRAMONIUM.

Datura Stramonium L. *gemeiner Stechapfel.*

---

* *Cel.* Rucker in *Commerc. Noric.* 1731. p. 372.

** *Cel.* Spielmann *de vegetab. venen. Alſatiæ* p. 66.

*** *Cel.* Hofberg in *Schwed. Abh.* 25. *B.* p. 243.

Odor

Odor herbæ recentis viroſus, narcoticus, temulentiam inducens. Sapor amarus.

Vis noxia. Inebrians, ſiccitatem faucium, viſus obnubilationem cum pupillæ dilatatione * inducens. *Doſi* vero *majori* delirium ferox, memoriæ abolitionem, convulſionem, ſudorem frigidum, paralyſin, mortem cauſat. **

Antidota. Vomitorium, ac dein antinarcotica.

Virtus medicata. *Extractum ſtramonii* maniam, epilepſiam, convulſiones, ſpaſmos abdominales & delirium poſt puerperium perſæpe ſopit. ***

Dosis extracti a grano uno bis de die ad tria ſenſim aſcendendo datur. Non amplius augenda doſis quando pupillæ oculi dilatari obſervatur.

---

* A foliis ſtramonii ulcuſculo ad oculum appoſitis pupillæ midriaſim paralyticam obſervavit *Cel.* Doederlin.

** Decoctum e tribus capſulis ſeminalibus ſtramonii in lacte coctis præter mox recenſita ſymptomata paralyſin apparentem totius corporis, quæ in furorem abiit, per 7 horas induxit, tandem ad ſe rediit æger & tranquille per noctem dormivit. *Cel.* Swaine *eſſays and obſervat. phyſ. and litter vol.* 2. *p.* 247.

*** *Ill.* L. B. *de* Stoerk *libellus de ſtramonio, hyoſciamo & aconito. Vindob.* 1762. Idem confirmat *Ill.* Bergius *m. med.* p. 122. præſertim dicit: ſi ſimul ſetaceum in nucha applicatur.

DATURA METEL.

DATURA Metel L. *weiſſer Stechapfel.*

VIS NOXIA præcedentis.

ANTIDOTA eadem.

DATURA FEROX.

DATURA ferox L. *ſcharfer Stechapfel.*

VIS NOXIA. Inſaniam 24 horarum durantem induxit cereviſia hujus plantæ ſemine intoxicata. *

ANTIDOTA. Emeticum, dein antinarcotica.

DATURA TATULA.

DATURA Tatula L. *blauer Stechapfel.*

VIS NOXIA præcedentis.

ANTIDOTA præcedentis.

HYOSCIAMUS NIGER.

HYOSCIAMUS niger L. *ſchwarzes Bilſenkraut.*

ODOR radicis recentis narcoticus. SAPOR narcoticus, ſubmucilagineus. *Odor* foliorum ſiccorum debilis; *Sapor* ſubinſipidus, vix acriuſculus. Carbonibus ignitis immiſſa folia ſcintillant & fremunt ut nitrum, atque fumant fumo narcotico, tabacino.

---

* *Cel.* GMELIN l. c. P. 2. p. 218.

Vis noxia. Integrum monaſterium ex coctis præ errore radicibus cum radice cichorei poſt oris & faucium moleſtiſſimum ardorem dementia correptum fuit. * Ex novem hominibus, qui radices loco paſtinacæ in juſculo comederant, quidam loquela orbati, omnes convulſionibus & diſtorſionibus oris & membrorum, riſu ſardonio, furoreque diriſſimo correpti fuere, & poſtquam commodis remediis reſipuerant, primum viſu duplicato laborarunt, dein quælibet objecta colore ſcarlatino tincta ſibi repræſentarunt ſanati, tam integre fuere. ** Ex eſu radicum aliquot ruſtici perierunt. *** Duæ radices crudæ comeſtæ pro paſtinaca a ſervo quodam crearunt ardorem ventriculi, ſitim intolerabilem, pervigilia, inſaniam & viſus imminutionem. Poſtero die copia macularum & veſicularum gangrænoſarum in corpore erupit, quas diarrhæa profuſa ſecuta abſtulit. *)

Folia in juſculo cocta ſeptem homnibus præter inſaniam & alia ſymptomata tumorem & rigiditatem manuum induxerut. ** Enema quod

* *Cel.* Wepf. *Hiſt. cicut. aquat.* p. 230.

** *Cel.* Potovillat in *Phil. Trans. Vol.* 40. p. 446.

*** Simon Pauli *Quadr.* pag. 384. *Ed.* Frikii.

*) *Cel.* Blom in *Schwed. Abh.* 1774.

** *Phil. Trans. Vol.* 47. p. 194.

hyoſciami folia continuit delirium ferox ſequebatur. *

De vi noxia *odoris* hyoſciami vide *venena halituoſa.*

Antidota. Vomitorium, dein purgantia, acetum, oleum.

Virtus medicata. *Extractum hyoſciami* in convulſionibus & ſpaſmis internis, in palpitatione cordis, mania, melancholia, expectoratione languente, in tuſſi pertinaci, in pervigilio, in hæmoptyſi, in epilepſia & cephalalgia inveterata a grano uno ad duo de die datum laudatur. ** Alvum non conſtipat ut opium, hinc ei ut narcoticum præferendum. *Folia* cum mica panis & lacte in cataplaſma cocta diſſipant tumores inflammatorios, & ſcirroſos mammarum & tumores rheumaticos atque arthriticos.

HYOSCIAMUS ALBUS.

Hyosciamus albus L. *weiſſes Bilſenkraut.*

Odor narcoticus, tabacinus. Sapor narcoticus, ſubmucilagineus.

---

* *Cel.* Grünwald in *Eph. N. C. D.* III. *A.* 9. *App. p.* 179.

** *Ill. Baro* Störck *lib. de Stramonio Hyoſciamo &c.* p. 26. *&c.*

VIS NOXIA, narcotica, dementans, at mitior hyoſciami nigri; ſemina hyoſciami albi ad grana xv exhibita ſtuporem, convulſiones ſubſultus tendinum cum pulſu exili atque abolitione ſenſationis cauſarunt. Proximo mane expergefactus fuit æger clyſmate antimoniali, amploque veſicatorio. *

ANTIDOTA præcedentis.

VIRTUS MEDICATA. *Extractum* in cataracta incipiente laudatur. ** Alii extractum, cum mercurio dulci combinant. ***

DOSIS. A medio grano incipiendum & aſcendendum, ſi nulla œſophagi ſiccitas obſervatur.

HYOSCIAMUS PHYSALODES.

HYOSCIAMUS Phyſalodes L. *ſibiriſches Bilſenkraut. Benge Arabum.*

VIS NOXIA. Arabes exinde condimentum parant, quod *Benge* vocant, ac quo bellarii loco in conviviis veſci ſolent. Major doſis eſt inebrians, ſomnifera, phantaſtica, coma vigil excitans, aſſuetis adeo familiaris, ut deficien-

* HAMILTON *Eſſays and obſerv. Vol.* p. 243.

** *Cel.* SAUVAGES *Noſol. meth.* T. 1. p. 724. pluribus obſervationibus ſe id expertum habere dicit.

*** *Ill.* MURRAY *pract. Bibl. vol.* 2. p. 153.

te Benge cibum faſtidiant. Abuſus totum ſyſtema nervoſum debile, maxime irritabile reddit, unde tremor corporis, terror ex minimo ſtrepitu, facies leucophlegmatica. *

Antidota. Vomitorium, dein antinarcotica. Remanens debilitas ſyſtematis nervoſi cardiacis nervinis & roborantibus curatur.

HYOSCIAMUS SCOPOLIA.

Hyosciamus Scopolia L. *ſchlafmachendes Bilſenkraut.*

Vis noxia. Demetans, ſoporifera. Scoti hujus plantæ ſucco vina & cereviſiam infecerunt, unde Danos, ſuos hoſtes ita dementarunt & in ſoporem adeo profundum induxerunt, ut eorum ducem cum toto exercitu deleverint **

Antidota. Vomitorium, dein antinarcotica.

AZALEA PONTICA.

Azalea pontica L. *gelber Roſenlorbeer.*

Odor florum gratus, at narcoticus, caput temulentum reddens.

Vis noxia. Narcotica, temulentiam, inſaniam & majori doſi mortem inducens. Mel, quod apes ex floribus azaleæ colligunt nauſeam,

* *Cel.* D' Arvieux l. c. p. 12.

** Buchanus *hiſtor. ſcotiæ.* B. 2.

animi deliquia & temulentiam cauſare dicitur. *

Antidota. Præcedentis.

ANTIRRHINUM ORONTIUM.

Antirrhinum Orontium L. *Orant.*

Vis noxia. Venenata dicitur. **

Antidota præcedentis.

ACTÆA SPICATA.

Actæa ſpicata L. *Chriſtophskraut.*

Odor fœtidiuſculus. Sapor amaricans.

Vis noxia. *Herba* cuti applicata veſicam excitat. *Baccæ* ventriculo ingeſtæ & tinctura e radice parata ſummam ægritudinem cum ſudoribus frigidis, ſine ulteriori tamen molo, induxerunt. ***

Antidota vomitoria & dein antinarcotica.

---

* *Cel.* Gmelin *l. c.* p. 242. Mel venenatum ex Heraclea, quo decem millia militum græcorum vomitu, diſſenteria, temulentia & inſania corripiebantur ex floribus hujus plantæ collectum fuiſſe videtur.

** *Ill.* Linnæ *ſpec. plantar. Edit.* III. T. II. *Vind.* 1764. *p.* 860.

*** *Cel.* Colden *Act. Upſal. a.* 1743. *p.* 132.

Virtus medicata. Radix forma cataplaſmatis applicata ſcirrhos reſolvere dicitur.

LOLIUM TEMULENTUM.

Lolium temulentum L. *Sommerlolch. Treſpe. Schwindelhaber. Tollkorn.*

Odor ſeminis nullus. Sapor ſubdulcis non ingratus.

Vis noxia. Ex claſſe graminum hoc unicum venenatum eſt. Semen cereviſiæ vel ſpiritui frumenti additum cito ebrietatem, ſcotomiam & inſaniam cauſat. Semina in pulmento aut in pane commeſta temulentiam, vertiginem, virium lapſum, faciei ruborem, oculorum ſplendorem, cæcitatem, ſpaſmos, frigus extremorum & non raro mortem inducunt. Semina lolii temulenti cum tritico agris *ſata* adeo fertiliter in agris humidis creſcunt, ut triticum ſuffocent, inde plebis fabula triticum quandoque arte magica in lolium temulentum mutari.

Antidota. Vomitorium ex tartaro emetico, acetum, oleum calide epotum, braſica acidulata.

ERVUM ERVILJA.

Ervum Ervilja L. *giftige Erven.*

Odor ſeminum nullus. Sapor farinoſus, ſubinſipidus.

Vis noxia. Semina inter alimenta hominum quondam numerabantur, at panis ex ſemine vel ſolo vel cum tritico coctus crurum imbecillitatem adeo vehementem produxit, ut ægri ſcipionibus binis inniti opus haberent. * Equos, qui plantam integram devorarunt, tanta crurum imbecillitas corripuit, ut vix pedibus inſiſtere poſſent & diu contremiſcerent. Gallinæ diſtenſione ingluviei a ſemine devorato necabantur. **

Antidota. Vomitorium & antinarcotica.

LATHYRUS CICERA.

Lathyrus Cicera L. *purpurrothe Platterbſe.*

Vis noxia. Semina comeſta rigiditatem crurum & claudicationem cauſabant. Ab eſu panis ex ſemine confecti tota familia paralyſi crurum corripiebatur. *** An ſagæ hoc ſemine clanculum cibis addito homines reddunt paralyticos?

---

* *Cel.* Binninger *obſerv. & curat. med. Cent.* 5. *obſ.* 70. p. 571. & *Cel.* Valisneri in *Galera di Minerva* T. 4. p. 220.

** *Cel.* Rossi *de plant. venen.* p. 39.

*** *Cel.* Divernoi *diſſ. de lathyri quadam venenata ſpecie in Comitatu Montbelgardenſi culta. Baſileæ* 1770. vel vide *Cel.* Linguet *und* Tissot *über das Getreid und Brod*, p. 129.

Antidota. Vomitorium & antinarcotica.

PEGANUM HARMELA.

Peganum Harmela L. *gemeiner Harmel.*

Vis noxia. Inebrians, exhilarans, ideam volatus per nubes, oblivionem rerum geſtarum inducens. *

Antidota præcedentis.

Virtus medicata. Semina hujus plantæ apud turcas, qui his condimenti inſtar veſcuntur, in foro venalia proſtant.

CHÆNOPODIUM HYBRIDUM.

Chænopodium hybridum L. *unächter Gänſefuſs.*

Odor ingratus, ſtramonio congruens.

Vis noxia, nacotica.

Antidota præcedentis.

---

* *Ill.* Linnæus in *amœnit. academ. vol.* 6. p. 183. opinatur ex hoc ſemine forte bolum fuiſſe, quem Kempherus apud Perſas in convivio aſſumpſit; unde inexplebili gaudio, riſu, joco ſuffundebatur. Finita cœna, dum aſcendiſſet equum, haud aliter ipſi videbatur, ac ſi pegaſo inſidens per nubes & coloratiſſimos iridis arcus volitaſſet, cumque Diis cœnaſſet.

CHELIDONIUM GLAUCIUM.

CHELIDONIUM Glaucium L. *eiſengraues Schöl-kraut.*

VIS NOXIA. Narcotica, inſaniens. *

ANTIDOTA præcedentis.

TAXUS BACCATA.

TAXUS baccata L. *Taxbaum.* — *Eibenbaum.*

VIS NOXIA. *Folia* equis, vaccis & capris lethalia ſunt. *Baccæ* rubræ a puero comeſtæ poſt aliquot dies petechias nigerrimas, inappetentiam, vomitum, ingentem debilitatem ſine febre & mortem cauſarunt. **

Tribus infantibus folia recentia taxi quantitate cochlearis in tres partes diviſa ſub titulo remedii anthelmintici mane hora ſeptima dabantur, deſuper potabatur juſculum. Hora nona infantes animi deliquio, frigore, ſomnolentia, oſcitatione, pondiculatione corripietantur. Unus ex infantibus vomebat & torimna ſentiebat, reliqui duo nullum doloris ſignum edebant. Omnes tres adhuc eodem

* *Philoſ. Tranſ. abridg.* II. p. 642. *Cel.* LOWTHORP ab ejus uſu inſaniam obſervavit.

** *Cel.* SELLE *neue Beiträge zur Natur- und Arzneiwiſſenſchaft* I. Th. p. I.

die moriebantur at abſque anxietate & abdominis meteoriſmo, mortui videbantur placidiſſimo detineri ſomno. *

ANTIDOTA. Vomitorium & antinarcotica

LACTUCA VIROSA.

LACTUCA viroſa L. *giftiger Lattich.*

ODOR viroſus, vertiginem excitans. SAPOR amaricans. Tota planta lacte ſcatet amaro.

VIS NOXIA. Narcotica, diuretica.

ANTIDOTA. Præcedentis.

VIRTUS MEDICATA. *Extractum* eſt ſolvens & abſque ſtimulo urinam movet hinc in aſcite cum emolumento dabatur. **

LACTUCA SCARIOLA.

LACTUCA ſcariola L. *wilder Lattich.*

ODOR ingratus.

VIS NOXIA narcotica.

ANTIDOTA præcedentis.

---

* *Sammlung zum Gebrauch practiſcher Aerzte* 3. B. 4. St. PERCIVAL *von den tödtlichen Wirkungen der Blätter des Taxus.*

** *Cel.* COLLIN *lactucæ ſylveſtris contra hydropem vires &c. Viennæ* 1780.

PARIS QUADRIFOLIA.

Paris quadrifolia L. *Einbeer.*

Odor radicis narcoticus, fumum redolens. Sapor debilior non ingratus. Baccarum & herbæ odor narcoticus; ſapor herbaceus, ſubdulcis in piſa cruda incidens.

Vis noxia narcotica, ſublaxans. Nulla obſervatione conſtat commeſtas baccas homini fuiſſe lethales. *

Antidota, ſi venenati orirentur effectus vomitorium & antinarcotica.

Virtus medicata. Herba in bubone, convulſionibus, tuſſi convulſiva ** & mania commendatur a quibusdam. Dicitur etiam nucis vomicæ eſſe antidotum. ***

Dosis datur ad ℈j bis de die.

---

* *Cel.* Gesnerus 1. *epiſt. med. fol.* 53. ſumpſit hujus herbæ ʒj cum vino & aceto, unde ſudavit copioſe & ſiccitatem faucium expertus eſt.

** *Cel.* Bergius *m. m.* p. 313.

*** *Cel.* Gesnerus l. c. nucis vomicæ Scrupulum dimidium canibus duobus dedit, quorum alter intra horas 4 periit; alter data herba paridis Drachma dimid. per os admiſſa, ſalvus evaſit, absque inſequenti emeſi.

PRUNUS LAUROCERASUS.

PRUNUS Laurocerаſus L. *Kirſchlorbeerbaum.*

ODOR foliorum vix ullus. SAPOR validus, ſubſtipticus, amaricans, ut amygdalæ amaræ, verum fortior.

VIS NOXIA. Narcotica, diuretica, paralyſin cordis & arteriarum inducens, occidit enim abſque inflammatione vel excoriatione partium, venas omnes præſertim abdominales ſanguine turgidas, arterias vero vacuas reddens.

Folia mitius agunt, *aqua ſtillatitia* vero violentius.

Puella ſaniſſima 18 annorum vix duo cochlearia aquæ ſtillatitiæ hauriebat, elapſa media hora concidebat convulſionibus & ſpuma oris correpta ac intra breve tempus moriebatur; cadaver non multum intumuit. * Lac cum uno vel duobus foliis coctum aliquando turbas inſignes excitavit. **

Vir cum uxore ſua drachmam unam & alteram ſpiritus baccis laurocerаſi infuſi quotidie per aliquot annos bibit, ſed ambo conjuges poſt loquendi impotentiam per aliquod

* *Cel.* MORTIMER in *Phil. Tranſ. Vol.* 37. p. 137.

** *Cel.* INGENHOUZE *Experiences ſur les vegetaux p.* 233. *nota.*

tempus prægreſſam, paralytici perierunt. * Dublini femina, cui tanquam cardiacum aqua deſtillata ad decem drachmas intra horam data, poſt moleſtias ventriculi & loquelæ jacturam abſque vomitu vel alvi dejectionibus & abſque convulſionibus obiit, altera cochlearia duo potavit ſed vix ſellæ impoſita abſque ullo planctu & convulſionibus periit. *)

Aquæ ſtillatitiæ ℥ ß vel una canes necat ſive in anum vel ventriculum perforatum ope ſyringæ injecta fuerit, agit emeſi, purgatione alvi & diureſi, excitat convulſiones epilepticas cum ſubſequente morte. Equum libræ tres ſimul & ſemel propinatæ enecarunt. Folia deglutita mitius agunt & ad ℥ iij cani quotidie data non enecarunt. ** Ventriculis necatorum animalium nulla ſigna inflammationis exhibuit, ſed muco ſpiſſo obductus inveniebatur. Aqua ſtillatitia *amygdalarum amararum* ut aqua lauroceraſi animalia necat. Vim no-

---

* *Gött. Magazin Ann.* 3. *P.* 6. *p.* 886. *Phyloſ. Transact. for the Year* 1739. *nr.* 452. *p.* 63.

*) *Ill.* MURRAY *app. med. vol.* III. p. 216.

** *Cel.* FONTANA in *Phil. Tranſ.* Vol. 70. P. 1. p. 210. & ejusdem *Traité ſur le venin de la vipere, ſur les poiſons Americains, ſur le laurier-Ceriſe &c.* T. 2. pagina 125.

xiam, quæ in amygdalis amaris in nucleo eſt, poſuit natura in lauroceraſo in folia.

ANTIDOTA. Vomitorium * lac, ſpiritus ſalis ammoniaci, & oleum. **

VIRTUS MEDICATA. Folia cum lacte cocta ſaporem amygdalarum dulcium lacti conciliant, *lac lauroceraſi* ex libra lactis cum uno vel duobus foliis parum cocti conſtat, & pro condimento bibitur. Sed cave ab infida blanditie.

Infuſum foliorum in obſtructione hepatis & *cataplasma* e foliis & farina in tumoribus ſcirrhoſis egregios dicitur effectus præſtitiſſe. Lac lauroceraſi pro gargariſmate in angina pituitoſo-inflammatoria exhibitum profuit. ***

Imo ipſa *aqua ſtillatitia* lauroceraſi ad guttas 30 ter de die data potentiſſima vi viſcidum tenax ſine ſtimulo attenuandi gaudere fertur, ideo in hectica a viſciditate ſeri, in me-

---

* Mulier biberat aquæ lauroceraſi paullulum ſupra cochleare, at ſine ullo damno vomitorio uſa.

** *Ill.* MURRAY *app. med. Vol.* 3. *p.* 222.

*** Hortulanus noſter *Ramet* peſſimam anginam ſibi gargarimate ex Libr. lactis cum 4 foliis lauroceraſi cocti curavit. Ingens copia muci viſcidi excernebatur a qualibet elutione faucium.

lancho-

lancholia a ſpeſſitudine ſanguinis, in rheumatiſmo viſcido laudatur. *

VENENA NARCOTICO-ACRIA.

Sunt vegetabila, quæ cum vi narcotica acrimoniam quamdam junctam ſimul habent.

Signa ſunt odor & ſapor acris, & ſymptomata tum narcotica, tum acrimonioſa, ut vertigo, ſtupiditas, gaſtritis ſopor, ſpaſmus, hæmorrhagia, ſanguis putridus.

Antidota, ſunt vomitoria & purgantia ante inflammationem ventriculi data, enemata emollientia, laxantia, aqua tepida, oleum, mucilaginoſa, lac cum melle.

HIPPOMANE MANCINELLA.

Hippomane Mancinella L. *gemeine Manchinelbaum.*

Odor fructuum, qui exacte poma ſylveſtria referunt, pomaceus, dulceſcens; Sapor acidulodulcis. Omnes plantæ partes, præſertim cortex arboris & pulpa pomorum lacte turgent cauſtico.

Vis noxia. Lac cauſticum cuti inſtillatum veſicam excitat, oculo autem illapſum ingentem

* *Cel.* Baylaes *practical eſſays on medical ſubjects. p.* 37.

inflammationem & cœcitatem aliquot dierum inducit. Succus hicce e foliis vento fractis cum pluvia deciduus idem facit; linteum macula imbuit, quæ lota lacerum relinquit foramen. Sola autem exhalatio arboris innocua eſt. *

Poma majori copia ** ventriculo ingeſta ardorem in ventriculo & inteſtinis, intumeſcentiam abdominis, ſudorem frigidum, animi deliquia, debilitatem ingentem & non raro mortem cauſant. *Cancer ruricola* impune hoc fructu veſcitur, at caro ejus hominibus eſt noxia.

Antidota. Emetico-purgans, dein lac & oryzæ Americani Nigritæ decocto *Jatrophæ multifidæ* emeto-catharſim excitant & decocto aut pulte oryzæ dolores ſimul leniunt. ***

Virtus medicata. Non nota.

---

* *Cel.* Jaquin cum ſociis, tribus horis ſub umbra arboris experimenti cauſa degens nil mali ſentiebat.

** Gravida femina tale pomum, *Götting. Anzeigen von gelehrt. Sachen* 1751. p. 70. & alia femina tria poma talia abſque noxa comedit. *Gazette ſalutaire* 1761. *m.* vi.

*** *Philoſoph. Tranſact. vol.* 1. *P.* 11. *p.* 277. Miles robuſtus 24 circiter poma Mancinellæ ob gratum ſaporem acidum ingurgitabat. Hora elapſa poſt

HIPPOMANE BIGLANDULOSA.

HIPPOMANE biglandulosa L. *Lorbeerblättrichter Manchinelbaum.*

VIS NOXIA præcedentis. *

COCCULUS INDICUS.

MENISPERMUM Cocculus L. *Fiſchkörner. Kokoskörner.*

ODOR fructuum nullus. SAPOR intenſe amarus, diutiſſime ori inhærens.

VIS NOXIA. Hi fructus piſcibus & aliis animalibus ſtuporem, felibus & canibus convulſiones & mortem cauſant. ** Indi ex hiſce nucibus formant paſtam admixto ſubinde ſtercore humano, quam in aquam injiciunt, cum piſces eam delibant, tanto corripiuntur ſtupore & vertigine, ut manibus capi poſſint. Sic

juſtum valde intumeſcebat abdomen; ingentem ardorem in eo ſentiebat, erigere ſe non potuit; labia eroſa erant, ſudor frigidus erumpebat. Nigrita potum e foliis jatrophæ multifidæ præbebat militi ægroto, ſic emeſi & catharſi excitata remittebant ſymptomata. Pulmentum ex oryza curam abſolvebant adeo ut poſt 24 horas ſanatus eſſet miles.

* Cel. PLUCKENET *Almageſt. Botanicum* p. 369. ſuccum venenatum continere dicit.

** WEPFER p. 184. & 194. Cel. HILLEFELD p. 34. & 37.

etiam crocodyli & alia animalia captantur. Non ideo tamen inſalubres eſui ſunt piſces, qui hoc veneno perculſi fuere. Neque alia obſervatio proſtat, quæ hos fructus hominibus eſſe venenatos probaret.

Antidota antinarcotica & antacria.

Virtus medicata. Radix hujus fruticis apud Indos tanta in æſtimatione eſt, ut *radix omnia ſanans* vulgo appelletur. Pulverem radicis inſpergunt locis pediculoſis; vulneribus & ulceribus ſordidis, quæ inde deterguntur & ſanantur. *Interne* radicis ℨ ß in diarrhæis, indigeſtione, flatibus, colica, febribus malignis & intermittentibus exhibere ſolent.

CORIARIA MYRTIFOLIA.

Coriaria myrtifolia L. *Myrthenblätterichter Gerberſtrauch.*

Vis noxia. Epileptica, ſtupefaciens. Homines, qui baccas incaute aſſumebant, epilepſia non quidem diu durante at ſæpius redeunte & mortem brevi inferente corripiebantur. *

---

* Hanc vim epilepticam primus obſervavit *Ill.* Sauvages. vide *Hiſtoire de l'academie royale des ſciences a Paris* 1739. p. 473. Puer 10 annorum & ruricola ſanus 40 annorum poſt mediam a baccis commeſtis horam convulſi periêre.

ANTIDOTA. Vomitorium, antinarcotica cum antacribus.

NUX VOMICA.

STRYCHNOS Nux vomica, L. *Krähenaugen.*

ODOR nucis nullus. SAPOR intenſius amarus.

VIS NOXIA. Hominibus magna ſolummodo doſis deleteria eſt; vertiginem, pandiculationes, convulſiones, tremores excitans. Periit puella decennis ex nucis hujus granis XV bis ad curandam quartanem ingeſtis poſt ſummas anxietates & vomendi conatus. * Alia femina ab exhibita nuce vomica periculoſis convulſionibus correpta fuit, cum ſequente rigore & ſtupore fere omnium ſenſuum. **

Non ſolum animalibus, quæ clauſis palpebris in lucem prodeunt ſed etiam plurimis aliis, quæ apertis naſcuntur oculis, lethale venenum eſt. Toti canum generi ſæpe ad pauca duntaxat grana lethalis eſt. Venatores nuce vomica utuntur ad interimendos vulpes, lupos, mures. Deglutita hæc nux intra ſemihoram vires narcoticas deleterias exſerit, tametſi in ventriculo vix ſolvitur, quod ſectiones cadaverum demonſtrarunt.

---

* *Cel.* HOFFMANN *med. ſyſtem* 4. p. 385.

** *Cel.* STEUTER *diſſ.* §. 11.

Antidota. Vomitorium, acetum, antinarcotica, herba Paris. *

Virtus medicata. Anodyna & ſimul roborans. Circa finem diſſenteriæ evacuatis prius primis viis cum rheo ad grana vj vel x laudatur. **

Tinctura nucis vomicæ aliquantum uſtulatæ ad vermes, febres intermittentes, cancrum, dolorem uterinum commendatur. In Ceylonia nux vomica interne ut ſpecificum contra morſum Colubri Najæ propinatur. Alii in malo hypochondriaco, hiſterico, mania, peſte & dolore colico laudant. ***

LIGNUM COLUBRINUM.

Strychnos Colubrina L. *Schlangenholz.*

Odor ligni nullus. **Sapor** debilius amaricans, ſubacutus.

Vis noxia. Recens lignum & radix narcotica acris, emetica, tremorem, inſenſilitatem & amentiam cauſans. †) Aetate & ſiccatione maxima pars virulentiæ perit.

---

* Vide *Paris quadrifolia.*

** *Schwed. Abh.* 35 *Band* p. 281. Plurimi dato rheo & nuce vomica ad X grana bis de die a dyſſenteria poſt febrem putridam orta ſanati fuere.

*** *Ill.* Murray *ap. med. vol.* 1. p. 482. authores hac de re citat.

†) Heide *obſerv. Cent.* 1 *obſ.* 7.

Antidota. Vomitorium cum antinarcoticis & antacribus.

Virtus medicata. Ob modicam virtutem emetico-catharticam, anthelminticam & tonicam ad curam febrium intermittentium & vermium adhibetur. Indi hoc lignum ad morſus ſerpentem commendant.

FABA IGNATII.

Ignatia amara L. *Ignatiusbohne.*

Odor fabæ nullus. Sapor amariſſimus.

Vis noxia. Scrupulus unus & ultra vertiginem, tremorem totius corporis, animi deliquia & motus convulſivos cum ſudoribus frigidis excitat. *

Antidota. Præcedentis.

Virtus medicata. A granis v ad x eſt tonica, narcotica, ſubemetica, anthelmintica, emmenanoga. Ad curam tertianæ laudatur.

NERIUM OLEANDER.

Nerium Oleander L. *Oleander.*

Odor florum dulceſcens. Sapor totius plantæ amariſſimus, acris.

Vis noxia. Odor florum in clauſo cubiculo mortem inferre & qui comederit aſſaturam in ver-

* *Cel.* Heide *Cent. obſerv.* 7.

ru ex oleandri ligno exciſo pati æſtuationem, amentiam, ſyncopen & mortem dicitur. *

Antidota. Emeticum, antinarcotica & antacria.

Virtus medicata, non nota.

ATROPA BELLADONNA.

Atropa Belladonna L. *Wolfskirſche.* Multis *Solanum furioſum* audit.

Odor foliorum & baccarum vix ullus. Sapor foliorum herbaceus, acriuſculus, ſubnarcoticus. Sapor baccarum recentium dulceſcens, fatuus, ſubadſtringens.

Vis noxia. Ex plantis veneno narcotico deleteriis fere primaria eſt; Pueris baccæ cum ceraſa æmulentur, ſæpe impoſuerunt, hinc ſexcentæ in obſervatorum ſcriptis occurrunt obſervationes de vi deleteria baccarum belladonnæ comeſtarum. **

Infantes quattuor, qui copiam baccarum ad ſatietatem deglutiverant, poſt ſemihorium circiter invaſit inebriatio, delirium, ſitis moleſtiſſima, niſus vomendi irritus, dein correpti ſunt vero furore, cum ſtridore dentium & convulſionibus. Pupilla palpebris diductis

---

* Libautius *Comment. de venenis*, Schenkius *de venenis*.

** *Ill.* Murray *app. med. vol.* 1. *p.* 430.

perſtitit immobilis. Facies profunde rubra & tumida. Maxillas ſpaſmus compreſſit, & deglutitio labefactata fuit. Ipſa ſenſilitas & irritabilitas ventriculi adeo deleta apparuit, ut nec larga tartari emetici doſis effectum exſereret, quem tandem præſtitit titillatio faucium per plumam oleo intinctam, ulterius ſolutione emetici continuata. Alternis inter emeticum vicibus acetum cum melle aqua miſtum exhibebatur. Hiſce furor conticuit, ſed ſopor profundiſſimus ſucceſſit, tendinum ſubſultibus ſtipatus, compalluit facies, & hæc una cum manibus frigida evaſit, cum pulſu duro, parvo, celeri. Clysmata tum ex floribus chamomillæ, aceto, oxymelle & ſale applicata copiam baccarum contritarum elicuerunt; Hiſce & purgante addito, tertio die reſipuerunt & cœcitas quoque diu etſi ſuperſtes diſparuit. * Verum alii, quibus tempeſtivus vomitus non ſubvenit vel non ſufficiens miſere perierunt. ** A vino belladonna infecto gangræna univerſalis & mors memoratur. ***

Folia baccas vi narcotica vincunt, ſi interne majori doſi deglutiantur. Folii recentis

* *Cel.* May in *Hann. Magaz.* 1773. *n.* 97.

** *Cel.* Boucher in *Journal de Med.* 1766. *p.* 310.

*** *Cel.* Mapp *pl. Alſat. p.* 36.

H 5

fruſtulum ulcuſculo cancroſo ſubter oculum impoſitum, pupillam inſigniter dilatavit, idque repetito aliquoties in eadem perſona experimentum. *

Antidota. Vomitorium, dein acetum, oxymel, clysmata acida, purgans, aqua frigida, lac potatum.

Virtus medicata. *Uſus externus. Folia recentia* ſcirrhos & cancreſcentes mammas diſcuſſerunt. ** In hæmorrhoidibus, ulceribus carcinomatoſis, & gangrænoſis eadem applicata laudantur. *** *Radix* lacte in cataplasma cocta tumorem inſignem inteſtini recti, obſtructionem alvi creantem, ano & perinæo applicata, diſſolvit. *)

Uſus foliorum *internus* in ſcirrhis, cancro, ictero obſtinato ab infarctu ipſius hepatis in mania & melancholia **) in epilepſia habituali, demum in rabie canina hominum & ani-

---

* *Cel.* Rayus *Hiſt. plant.* T. 1. *p.* 680.

** Idem l. c.

*** *Cel.* Böcler in Herm. *M. m.* T. 2. p. 321.

*) *Med. & phil. Commentaries Vol.* 1. p. 419.

**) *Cel.* Evers in *Berlin. Sammל.* T. 5. p. 565. foliorum grana quinque cum totidem granis rhei ſemel per diem dat, ſubjuncto plerumque poſt duodecim doſes purgante ſalino.

malium, atque variis pecorum morbis utilis fuit ſæpe ſed non ſemper deprehenſus. *

Dosis Granum unum *pulveris* ſaccharo mixti vel *extracti* granum unum & dimidium mane & veſperi in forma pilulari datur.

Dosis in rabidi canis morſu: *Radicis* gr. xv. adulto infanti ſexenni grana v. dantur: Idque mane vel in aqua vel cereviſia calida. Repetitio prima fiat poſt 48 horas, ſecunda & tertia poſt idem tempus bis vel ter. Symptomata a belladonna excitata aqua frigida & lacte poto ſedantur.

NICOTIANA TABACUM.

NICOTIANA Tabacum L. *gemeiner Tobak.*

Odor foliorum recentium debilius narcoticus, ſiccatorum vero fortior. Sapor recentium amaricans, acriuſculus.

Vis noxia. Ventriculo ingeſta nicotiana emetocatharſin, vertiginem, ſtuporem narcoticum inducit; a pulvere nimis copioſo aſſumpto coma ſomnolentum, tandem apoplexia lethalis nata. ** Cereviſia cocta enormes vomitiones, & alvi dejectiones cum anxietate & de-

* *Ill.* Murray *ap. m.* v i. p. 433. & ſeq.

** *E. N. C. Dec.* 2. *Ann.* 10. *obſ.* 131. p. 222.

bilitate ſumma crearunt ſubſequente ſopore & larga ſudatione. *

VIS NOXIA EXTERNA. Fœmina, ad tineam capitis ſanandam linimentum ex pulvere tabaci & butyro tribus ſuis filiolis inunxit, unde mox vertigine & vomitionibus diris correpti æſtuarunt, ſudarunt, animo deliquerunt; per 24 horas inſtar temulentorum incedentes, ſed quiete & ſyrupo de citro reſtituebantur. ** Decoctum foliorum ſcabioſis partibus applicatum vomitum cruentum & convulſiones creavit. *** Si acu & filo oleo tabaci madido pars animalis vivi vulneratur, illud mox perit. *) Etiamſi exigua quantitas ab hominibus impune deglutiatur.

ANTIDOTUM, acetum, ſuccus citri, aqua cinanomi, oleum cum lacte.

VIRTUS MEDICATA. *Infuſum* nicotianæ emetici loco in initio febrium putridarum in ſuecia adhibetur. *Extractum* in tuſſi pituitoſa ad granum unum in cochleari aquæ cinanomi datum ſæpe prodeſt. *Clyſma* ex infuſo vel fumo tabaci alvum potenter ſolvit, hinc in ileo, & hernia incarcerata at abſente inflammatione

* *Cel.* DIEMERBRÖK *Tr. de peſte* p. 294.
** *Eph. N. C. Dec.* 2. *An.* 4. *p.* 46.
*** VANDERMOND *Rec. period.* T. 7. p. 67.
*) *Cel.* RUEDI *Eſperim. nat.* p. 50.

bonum eſt remedium. *Fumi ſuctio* obeſis, leucophlegmaticis, odontalgia rheumatica laborantibus conducit. *Fomentum* e decocto tabaci paraphymoſin chronicam & alios tumores induratos diſcuſſit.

NICOTIANA RUSTICA.

NICOTIANA ruſtica L. *Bauerntobak.*

VIS NOXIA præcedentis at debilior.

NICOTIANA PANICULATA.

NICOTIANA paniculata L. *Jungferntobak.*

VIS NOXIA præcedentis at adhuc debilior.

NICOTIANA GLUTINOSA.

NICOTIANA glutinoſa L. *Soldatentobak.*

VIS NOXIA major, quam præcedentium omnium.

BRYONIA ALBA.

BRYONIA alba L. *Zaunrübe. Gichtrübe.*

ODOR radicis narcoticus, nauſeoſus. SAPOR acriuſculus, ſubſtipticus, nauſeoſus. *Baccarum* ſapor fatuus, odor nauſeoſus.

VIS NOXIA radicis recentis ſubemetico-purgans; vi narcotica temulentiam, vertiginem & amentiam inducens.

ANTIDOTUM. Emeticum dein antinarcotica.

Virtus Medicata. Ut purgans hydrogogum in aſcite & aſtmate laudatur.

CHÆROPHYLLUM SYLVESTRE.

Chærophyllum ſylveſtre L. *wilder Kälberkropf.* *Herba cicutariæ.*

Odor herbæ contuſæ ingratus. Sapor amaricans, ſubnauſeoſus.

Vis noxia. Radix tempore hyberno effoſſa delirium ferox, ſoporem, temulentiam, anxietatem & ſuffocationem procreare dicitur, nihilominus nullum tamen proſtat exemplum mortis inde ſecutæ.

Antidotum præcedentis.

CHÆROPHYLLUM BULBOSUM.

Chærophyllum bulboſum L. *bolliger Kälberkropf. Peperlſalat.*

Odor radicis junioris nullus. Sapor ſubdulceſcens, inſtar apii.

Vis noxia. *Semen* capitis dolorem, vertiginem & gravedinem inducere dicitur; eadem ſymptomata eſu *radicis* cauſari putantur. At ego & mea familia multoties his radicibus recentibus in juſculo, tum & acetarii forma ſine noxa veſcebamur. Forſan radix plantæ adultæ temulenta eſt.

Virtus Medicata. V. *Bromatologiam.*

CHÆROPHYLLUM TEMULENTUM.

CHÆROPHYLLUM temulentum L. *berauſchender Kälberkropf.*

VIS NOXIA. Temulentiam inducit.

ANTIDOTUM. Acida.

AETHUSA CYNAPIUM.

AETHUSA Cynapium L. *gleiſe Hundspeterſilge der kleine Schierling. Cicuta minor.*

VIS NOXIA. Radix & herba cardialgiam, choleram atrocem, furorem, ſoporem, intumeſcentiam lividam totius corporis & non raro mortem infert.

ANTIDOTUM, promiſſo vomitorio dentur acida & obvolventia.

VIRTUS MEDICATA non nota.

SIUM LATIFOLIUM.

SIUM latifolium L. *breitblätterichter Waſſermerk.*

ODOR gravis fere reſinoſus. SAPOR ſubacris.

VIS NOXIA. Radix ante æſtatis medietatem abſque noxa comedi poſſe dicitur. Poſt medietatem vero effoſſa & comeſta pueris quibusdam furorem & mortem intulit. *

ANTIDOTA. Præcedentis.

---

* *Schwed. Abh.* XI. *B.* IV. *Viert.* 9. *St.*

CICUTA VIROSA.

CICUTA viroſa L. *Waſſerſchierling.* *Cicuta aquatica.*

ODOR foliorum recentium contuſorum in apium graveolens incidit, at acutior eſt. SAPOR non ingratus petroſelino fere congruens. Radix recens tempore vernali reſecta lacte luteſcente valde viroſo ſcatet.

VIS NOXIA. Radicis effectus venenati ſunt: temulentia, vertigo, cardialgia, vehemens ardor ventriculi, inanis vomendi conatus; meteoriſmus abdominis, ſingultus, ſitis, ſpaſmus maxillæ, convulſio, inflammatio ventriculi atque inteſtinorum, gangræna, & mors.

Pueri duo & puellæ ſex radicem loco paſtinacæ comederant, unde plerique mortui, pauci poſt vomitum convaluere. * Alius homo vertiginem, delirium & ſuperſtitem diu ardorem ſummum ventriculi, ſitimque intenſam, tumorem præterea eryſipelaceum ad collum ſeſe propagantem eadem ſibi contraxit. **

* *Ill.* WEPFERI *hiſtoria cicutæ aquaticæ. Baſil.* 1716. & *Cel.* SPRÖGEL *experimenta circa venena. Göttingæ* 1753. p. 15.

** *Eph. N. C. Cent.* 10. *obſ.* 58. *p.* 355.

Radix

Radix & folia verno tempore magis venenata quam alio eſſe videntur, herba & radix ſiccata vix amplius brutis venenum ſunt. *

Antidota. Vomitorium.

Virtus medicata. Experimenta inſtituenda loco conii maculati. Radix in pultem contuſa cruda vel cocta ad loca rheumatica vel arthritica & herpetica applicatur.

CONIUM MACULATUM.

Conium *maculatum* L. *gefleckter Schierling. Cicuta terreſtris.*

Odor plantæ totius fœtidus, murinus; *ſiccatæ* fortior. Sapor recentis leniter aromaticus, herbaceus, ſubnauſeoſus.

Vis noxia. In ſubjectis ſenſilioribus vertiginem, debilitatem, imo & cœcitatem periodicam, delirium, ſoporem, anxietatem, cardialgiam, vomitum, convulſionem, imo ipſam mortem inducit, quæ vero rarius ex conio contingit quam ex cicuta viroſa. **

Antidotum. Vomitorium.

---

* *Schwed. Abhandlung* 35. B. & *Ill.* Bergius l. c. extractum ſenſim ad Drachma j. & decoctum foliorum ſaturatum ad Lib. iv. abſque effectu noxio intra 24 horas dedit.

** *Ill.* Halleri *Hiſt. ſtirp. helv. n.* 266.

Virtus medicata. Uſus *externus* cancrum ſcrophuloſum & alios tumores induratos atque ulcera cancreſcentia * quandoque curat, ſi *extractum* forma emplaſtri applicetur. *Lotiones* ex cicuta ſcabiem, tineam ** aliosque morbos cutaneos, leucorrhæam, ozœnam ſanarunt.

Uſus *internus* in iisdem morbis ut & in gonorrhæa, phthyſi ſcrophuloſa, atrophia infantum, rheumatiſmo chronico, impotentia virili, cataracta incipiente, polypo cancroſo &c. laudatur. Vid. *Pharmacologiam chirurgicam.*

MERCURIALIS PERENNIS.

Mercurialis perennis L. *beſtändiges Bingelkraut.*

Odor graveolens fœtidus. **Sapor** ingratus, amaricans.

Vis noxia ſtupefaciens.

---

* *Ill. L. B. de* Störck *libelli* 2. *de cicuta* & *libelli quo continuantur experimenta.*

** *Ill.* Murray *de medendi. tineæ capitis ratione paralipomena Göttingæ* 1782. p. 21. puellæ tinea favoſa jam a longo tempore deturpatæ præter internum cicutæ uſum, qui a granis 2 ad ſcrupulos tres de die aſcendebat, cucupham herba ſicca cicutæ repletam & aqua coctam die noctuque geſtari in capite juſſit qua methodo tinea curabatur.

ANTIDOTA. Antinarcotica.

VIRTUS MEDICATA. Non nota.

FUNGI VENENATI.

Fungi generatim veneno cenſentur ſuſpecti, qui *odore* tetro & *ſapore* acri, rodente inſtruuntur, atque qui ſibi relicti cito in liquamen putridum abeunt.

Color fungi *luridus*, ſtipes *cavus*; ſuperficies *viſcida*; *induratio* ſub coctura, *nigredo cepæ* cum fungo ſuſpecto coctæ, nil certi de indole venenata fungi deſignant. * Unicum certum criterium eſt exacta fungorum venenatorum notitia botanica.

In quibusdam fungis ut *Agarico integro* & *lactifluo* nec botania prodeſt, cum Agarici venenati & eſculenti perfecte eadem ſit facies

* Agaricus enim *integer* modo ruber, modo lividocœruleus, modo ſordide virens eſt, & tamen eſculentus. Agarici *mammoſi* & agarici *Mouceron* ſtipes cavus eſt & tamen non inſalubris &c. demum multi viſcidam gerunt ſuperficiem & tamen eſculenti ſunt, coctura demum fungi indureſcunt omnes. *Ill.* FRANK *Syſtem einer vollſtändigen medicinischen Polizey* 3. B. p. 292. & *Cel.* A. CARTHEUSER *programa de fungorum venenatorum notis. Gieſſæ* 1777.

externa. At in hoc caſu ſapor acris venenatum ab eſculento ſufficienter diſtinguit. Ideo coqui vel coquæ a ſingulo agarico, quem pro culina præparant, fruſtillum dentibus decerpant & manducent, ſi in eo acritatem deprehendant, illico fungum abjiciant.

ANTIDOTA. Emetica, purgantia, hauſtus aquæ gelidæ. Nec oleum, nec acetum, nec piper quid proſunt, imo acrimoniam fungi augendo nocent.

AGARICUS MUSCARIUS.

AGARICUS muſcarius L. *Fliegenſchwamm.*

ODOR teter nauſeoſus. SAPOR acris.

VIS NOXIA. Exigua doſi ventriculo ingeſtus exhilarat, inebriat, majori doſi vomitum, furorem, tormina, animi deliquia, alvi fluxus dolorificos, convulſiones inducit atque mortem. * Muſcæ aquam cum hoc fungo decoctam bibentes inde ſtupefiunt, ſuccus cimines necat, ſi lectorum juncturæ eo illiniuntur.

ANTIDOTA. Præter vomitoria & purgantia hauſtus aquæ frigidiſſima, glaciata.

VIRTUS MEDICATA. Pulvis inſpergitur ulceribus

---

* *Cel.* LÖSEL *Flora Pruſſ. op. Gottſch. Regiomonti* 1703. p. 88. Sex homines ab ejus eſu moriebantur.

cancroſis, cancreſcentibus, carioſis, ſcrophuloſis, in nodis exulceratis mammarum. *

Uſus *internus*. In epilepſia ** ʒj quotidie in aqua vel quod melius in aceto datur. Radix abjecto ſtipite & pileo menſe auguſti in umbra vel ſuper fornace ſiccatur, dein radula in pulverem raſa pro uſu ſervatur.

Kamtſchathali ex agarico muſcario & epilobio anguſtifolio potum valde inebriantem ſibi conficiunt, quem magnates illorum in deliciis habent; ſervi qui urinam magnatum ebriorum bibunt, adhucdum inde ebrii redduntur, vix vero afficiuntur, qui ſervorum urinam hauriunt. ***

AGARICUS INTEGER VENENATUS.

AGARICUS integer venenatus KRAPFII *Giftaubling*. *Agaricus emeticus* SCHÆFERI *Spey-*

---

* *Cel.* WHISTLING *diſſ. de virtutibus agarici muſcarii vulgo Fliegenſchwamm tam internis quam externis, experimentis atque obſervationibus comprobatis. Jenæ* 1778.

** *Cel.* BERNHARD *chymiſche Verſuche und Erfahrungen* &c. *Leipzig* 1755. p. 323. plures epilepticos dicit ſe pulvere radicis agarici muſcarii curaſſe. Idem confirmat. *D.* WHISTLING l. mox citato §. 7.

*** *Cel.* KRASCHEMINCKOW *natural hiſtori of Kamtſchatha. p.* 209.

teufel. Habitu, figura & colore agarico integro *eſculento* perfecte ſimilis eſt, ſed differt ab eſculento, Odore tetro, Sapore acri, nauſeoſo, fere cauſtico & *carne* laxa. *

Vis noxia. Inducit anxietatem, vertiginem, nauſeam, vomituritionem, tormina, alvi fluxum dyſentericum, meteoriſmum, quandoque mortem. Unicus agaricus venenatus cum pluribus eſculentis coctus omnes reddit venenatos. ** Hinc coquæ ſinguli agarici, quem pro culina præparant, fuſtillum manducare, ut acritatem detegant, teneantur.

Antidota. Mox ab ingeſtis fungis venenatis exhibeatur vomitorium dein purgante inteſtina eluenda. Tormina, vomituritio & alvi fluxus optime moderantur aqua frigidiſſima, glacie adhuc magis gelida reddita.

---

* *Cel.* Krapf *Beſchreibung der in Unterösterreich wachſenden Schwämmen.* 1. Heft p. 9.

** An ex hac obſervatione explicari poteſt, cur quibusdam authoribus viſum fuerit, fungos eosdem certis anni temporibus eſſe eſculentos, aliis venenatos, aut eosdem fungus pro diverſitate ſoli, quo nutriutur eſſe bonos vel malos, prout hoc de plantis quibusdam dicitur, at *Cel.* Krappii agaricus integer venenatus in eodem ſolo cum eſculentis creſcebat.

Nec oleum, nec acetum, nec piper antidota ſunt, omnia enim hæc acrimoniam hujus fungi augent.' *

AGARICUS INTEGER VISCIDUS.

Agaricus integer viſcidus KRAPFII. ** *Schmierling, ſtinkender Taubling — ſchleimiger gelber Taubling.*

Fungus agarico ſimilis eſt, at viſcore digitos tangentes inquinat, fœtore & ſapore tetro, nauſeoſo.

VIS NOXIA. Odore tetro capitis dolorem & temulentiam infert, ſapore nauſeoſo vomiturionem cauſat. Siccatus & aridus fungus hanc indolem non perdit.

ANTIDOTA. Vomitorium, hauſtus aquæ frigidiſſimæ, longior coctura in aqua hunc fungum noxia qualitate adeo privat, ut eſculentus evadat.

AGARICUS LACTIFLUUS VENENATUS.

Agaricus lactifluus venenatus KRAPFII *** *Giftbrädling.*

---

* *Cel.* KRAPF *l. c.* 1. *Heft* p. 14. §. XIV. hic fungus cum aceto maſticatus vel in aceto vel oleo coctus acrior evadit, nec piper, nec ſatureja nec origanum acrimoniam diminuunt, ut multi opinabantur.

** L. c. 2. *Heft* p. 11.

*** L. c. 2. *Heft* p. 11.

Fungus agarico lactifluo ſimilis, ſola lactis acrimonia ab eo differens.

Vis noxia, anxietatem, cardialgiam, enormes vomitus atque torminoſas alvi dejectiones cauſat. * Mulier ſedato vomitu ab eſu hujus fungi orto per integrum annum morboſa, languida, emaciata manſit, tandem cum fere eſſet moribunda copioſiſſimo corripiebatur ſudore, qui in viridem pulverem exſiccabatur, adeo ut magna in copia ex induſio & linteamine excuti poſſet, quo ſudore finiente penitus convaluit. Alia mulier cum ſua 10 annorum filia aliquot agaricos lactifluos venenatos cum aceto, oleo & pipere conditos comedebat. Infelix puella vomiturionibus rapiebatur, mater vix poſt vomitus & dolentiſſima tormina ſervari potuit.

Antidota. Inde iterum patet nec oleum, nec acetum, nec piper eſſe hujus fungi antidotum. Fungus in oleo coctus acrior fere evaſit, in aqua vero per $\frac{3}{4}$ horæ coctus adeo miteſcit, ut impune comedi poſſit. ** Hauſtus aquæ frigidiſſimæ optimæ compeſcuit vomituritionem, tormina & alvifluxum, qui vero ab initio aptis remediis promoveri debet, ut Ipecacuana, ſale amaro, manna. Evacuato veneno the-

* *Cel.* Krapf l. c. p. 12.

** *Cel.* Krapf l. c. p. 14.

riaca turbæ remanentes ſedari & ſudor prolici debet.

AGARICUS PIPERATUS.

Agaricus piperatus L. *Pfefferſchwamm.*

Odor fungoſus; Sapor acris, piperis adinſtar cauſticus.

Vis noxia. Fungus crudus lacte croceo valde acri & fere cauſtico repletur, hinc crudus cardialgiam & alia mala infert imo & mortem.

Antidota. Coctura fungi indoles acris miteſcit. In Ruſſia, ubi fungus hicce in doliis ad tempus quadrageſimæ reſervatur, comedi ſolet. Forſan in hoc climate fungi venenum eſt mitius.

AGARICUS FIMETARIUS.

Agaricus fimetarius L. *Miſtſchwamm.*

Vis noxia præcedentis.

AGARICUS PUSTULATUS.

Agaricus puſtulatus Pollichii, *blaterichter Schwamm.*

Vis noxia. Pluribus infauſtis caſibus innotuit, hunc fungum venenatum eſſe. *

* *Cel.* Pollich *hiſtoria plantarum in palat. Electorali ſponte creſcent.* T. III. p. 286.

ANTIDOTA præcedentium.

AGARICUS NECATOR.

AGARICUS Necator L. *Mordſchwamm.*

VIS NOXIA. Cardialgiam, tormina, vomituritionem cauſat.

ANTIDOTA. Vomitorium, purgans.

AGARICUS SANGUINEUS.

AGARICUS ſanguineus L. *blutrother Schwamm.*

VIS NOXIA præcedentis, veſicas in lingua excitat maſticatus.

AGARICUS VISCIDUS.

AGARICUS viſcidus L. *klebrichter Blätterſchwamm.*

VIS NOXIA. Cenſetur venenatus.

AGARICUS CLYPEATUS.

AGARICUS clypeatus L. *Schildförmiger Blätterſchwamm.*

VIS NOXIA præcedentis.

BOLETUS VERSICOLOR.

BOLETUS verſicolor L. *bunter Löcherſchwamm.*

VIS NOXIA; cenſetur ſuſpectus.

BOLETUS ELEGANS.

BOLETUS elegans L. *zierlicher Löcherſchwamm.*

VIS NOXIA præcedentis.

BOLETI PARASITICI.

Boleti generatim fere omnes, qui truncis putridis arborum vetuſtarum accreſcunt, ſuſpecti veneno cenſentur.

PHALLUS IMPUDICUS.

PHALLUS impudicus L. *unverſchämter Gichtſchwamm.*

VIS NOXIA. Fungus adhuc impuber hominibus & animalibus ſcopo aphrodiſiaco ingeritur. *

PHALLUS MUKUSIN.

PHALLUS Mukuſin L. ** *chineſiſche Morchel.*

HABITAT in China prope Pekin in mori radicibus putridis.

VIS NOXIA. Chinenſibus raro edulis cum ſæpe venenatus & verminoſus reperiatur.

VIS MEDICATA. Laudant Chinenſes hunc fungum, ut præſtans remedium in ulceribus cancroſis,

---

* *Cel.* GLEDITSCH *method. fung. p.* 58.

** *Ill.* LINNÆ *ſupplem. plantar.* p. 452. & *Acta petropol.* v. 19. p. 373. t. 5.

ſi tantum externe adhibetur, ob quam efficaciam incolis notiſſimus eſt fungus.

LYCOPERDON CARCINOMALIS.

LYCOPERDON carcinomalis L. * *Krebstrufel.*

HABITAT in capite bonæ ſpei.

VIS NOXIA præcedentis.

VIS MEDICATA. Pulvis in Capite bonæ ſpei ad ulcera cancroſa in uſu eſt.

FUNGI NONDUM DETERMINATI.

Fungi venenati in ſyſtemate Linnæano nondum rite determinati, ſunt

1. *Fungus* mediæ magnitudinis totus albus. **
2. *Agaricus* pileo cocullato, viſcido & nigro; petiolo fiſtulato candido. ***
3. *Agaricus* pileo plano, viſcido citrino & ſplendente, vertice in conum acutum faſtigiato, lamellis rarioribus. *)
4. *Agaricus* candidus & viſcidus ex una baſi multiplex, pileolo campanulato, in cen-

---

* LINNÆ l. c.

** *Cel.* GMELIN.

*** *Catalog: plantarum ſponte circa Giſſ. naſcent.* p. 185. & *Cel.* CARTHEUSER l. c.

*) *L. c.* p. 130.

tro depreſſo, petiolo cylindraceo, gracili. *

5. *Amantia* coniformis viſcida, lutea.

6. *Amantia*, globoſa, viſcida, ſordide lutea DILLENII **

VENENA ACRIA.

Venena, quæ cauſtica acritate inſtruuntur, huc pertinent.

Noſcuntur ſapore acerrimo, cardialgia urente, vomituritione, colica, teneſmo, ſanguifluxu, veſicis in cute excitatis ſi externe applicentur, mens non adeo ab initio ſaltem ut a venenis narcoticis afficitur.

ANTIDOTA præmiſſo vomitorio ex vitrioli albi granis decem vel ex rad ipecacuanhæ ℨß cum 10 granis boracis, ſunt aqua tepida, oleum, mucilago, mel, ovi vitellus & albumen lacte dilutum, mixtura oleoſo-mucilaginea, lac, enemata, fomenta, in quibusdam acetum, ſuccus citri, Sal tartari, borax.

DELPHINIA STAPHISAGRIA.

DELPHINIA Staphiſagria L. *Lauſsſamen.*

ODOR ſeminum fœtidus. SAPOR intenſe amarus,

* *L. c.*

** GLEDITSCH *meth. fung.* p. 109.

acris, nauſeoſus, diu inhærens, maſticata fauces erodens.

Vis noxia vomitoria, draſtica, ventriculum inflammans.

Antidota antacria.

Vis medicata. Externe adhibetur ad fugandos pediculos, ad curandam ſcabiem & ulcera fungoſa.

SEMEN SABADILLI.

An *Veratrum Sabadilli. Sabadillſaamen.*

Odor ſeminum vix ullus, Sapor capſulæ ipſius nullus, ſed ſeminis amariſſimus & acerrimus, linguam & fauces vi cauſtica diu inhærente afficiens.

Vis noxia. Major copia ſeminis ingeſta draſtico-emetica, ventriculum & inteſtina inflammans.

Antidota antacria.

Vis medicata. Hæc ſemina fungant cimices & capillis capitis inſperſa vel veſtibus inſuta, pediculos. Nuper interne contra tæniam & lumbricos ad ℨß quotidie per 15 dies cum fructu & abſque noxa dabantur. *

---

* *Cel.* Schmucker *vermiſchte Schriften* 1. B. p. 271.

RHODODENDRON CHRYSANTHUM.

RHODODENDRON Chryſanthum L. *Sibiriſche Schneeroſe.*

ODOR herbæ ſiccæ nullus, SAPOR adſtringens, amaricans, *decoctum* fauces urens & adſtringens.

VIS NOXIA. Draſtico - emetica, torminoſa, inflammans.

ANTIDOTA antacria.

VIS MEDICATA antipodagrica, antarthritica. *

DOSIS. ℞. Stipitum & foliorum rhododendri chryſanthi ʒ ij, infundantur cum aquæ fontanæ ℥ ix, ſtent in digeſtione in vaſe bene obturato per 24 horas ad ebullitionem uſque. Colatura detur.

FRITILLARIA IMPERIALIS.

FRITILLARIA imperialis L. *Kayſerkrone. Corona imperialis.*

ODOR radicis teter, nauſeoſus. SAPOR acris, mordax, urens.

---

* *Cel.* KOLPIN *practiſche Bemerkungen über den Gebrauch der ſibiriſchen Schneeroſe in Gichtkrankheiten. Berlin* 1779. *& Cel.* GRUNER *Almanach für das Jahr* 1783. p. 171. Pluribus obſervationibus demonſtrant hi duo viri celeberrimi efficaciam hujus plantæ in podagra.

Vis noxia. Radix ventriculo ingeſta inflammationem & gangrænam producere dicitur.

Antidota. Emeticum, dein antacria.

COLCHICUM AUTUMNALE.

Colchicum autumnale L. *Zeitloſe.*

Odor radicis recentis tempore æſtivali & autumnali hircinus, irritans, nares fauceſque feriens, diu inhærens. Sapor tempore æſtivali acris, linguam fauceſque fortius rodens, rigidas faciens, diu inhærens. Tempore vero autumnali ſapor longe debilior & ſubfarinoſus. Radix *ſiccata* fere effœta eſt.

Vis noxia. Apices digitorum ſucco radicis illiti ſtupore afficiuntur. Radix recens ventriculo ingeſta fungorum more ſtrangulatione, purgatione torminoſa, inflammatione viſcerum mortem infert. Cervi a comeſtis foliis diarrhæa cruenta & gangræna primarum viarum pereunt.

Antidota præcedentis.

Virtus medicata. *Oxymel colchici* vi ſolvente & diuretica hydropem curat & viſcera obſtructa abdominalia reſerat. *

---

* *Ill. L. B. de* Störck *libellus, quo demonſtratur colchici autumnalis radicem non ſolum tuto exhiberi poſſe hominibus ſed & ejus uſu interno cu-*

Deco-

Decoctum foliorum fugat animalibus pediculos.

PEDICULARIS PALUSTRIS.

PEDICULARIS paluſtris L. *Lauſekraut.*

ODOR nullus. SAPOR acris, urens.

VIS NOXIA. Animalia, quæ hac herba fame coacta veſcuntur, mictu cruento pereunt.

ANTIDOTA præcedentis.

VIRTUS MEDICATA non nota.

DIGITALIS PURPUREA.

DIGITALIS purpurea L. *Fingerhutblume.*

ODOR herbæ nullus. SAPOR amarus in omnibus plantæ partibus, acris.

VIS NOXIA. Emeto-catharſim torminoſam, ſingultum, convulſiones, eroſionem oris, ventriculi & inteſtinorum atque mortem cauſat.

ANTIDOTA antacria.

VIRTUS MEDICATA. Decoctum interne datum ſtrumas & ſcrophulas curat. * Alii plantæ

---

rari quandoque morbos difficillimos. Vindob. 1763. & *Journal de Medecine* T. XXIII. 1765. *Jul.* n. 2. p. 20 — 27.

* V. *Pharmacologiam chirurgicam* p. 473.

flores contuſos cum axungia porcina in formam unguenti redactam externe ſcrophulis & ulceribus ſcrophuloſis applicant.

Dosis. Succi expreſſi cochleare medium vel, ſi æger robuſtus eſt, integrum in menſura una aquæ dilutum omni die ſenſim datur.

CYCLAMEN EUROPÆUM.

Cyclamen europæum L. *Schweinsbrod.*

Odor radicis recentis nullus. Sapor acris, pungens, fervidus, amaricans, ingratus. *Diu ſervata* fere inſipida evadit. Radix *aſſata* mitis adeo evadit ut eſculenta ſit.

Vis noxia. Radix recens draſtice purgat. *Succus* umbilico illitus alvum ducere & abortum procreare fertur.

Antidota antacria.

Virtus medicata. Incertum purgans non amplius adhibetur. Grana duo naribus attracta mucum cum vel ſine ſternutatione eliciunt, hinc in amauroſi & cephalæa proſunt.

PLUMBAGO EUROPÆA.

Plumbago europæa Bleywurzel vel *Zahnwurz. Dentillaria.*

Odor nullus. Sapor acris, ſubcauſticus.

Vis noxia. Ob inſignem acrimoniam habetur ſuſpecta. Infectores, qui decoctum plumbagi-

nis europææ in magnis lebetibus parant, ut colorem paleaceum flavum obtineant, non niſi per ſex horas huic operi incumbere poſſunt, ſecus incidunt in carum cephalalgia gravi deſignatum. *

ANTIDOTA antinarcotica & antacria.

VIRTUS MEDICATA. Radix vel herba carpis applicata odontalgiæ mederi dicitur. ** Oleum foliorum infuſione olei olivarum paratum, ſæpiusque illitum in inveteratis cancris valuiſſe dicitur. Alii folia oleo macerata applicant. *** Folia necant cimices. Oleo infuſo plumbaginis membra ſcabioſa mane & veſperi abluta curantur. *)

---

* *Ill.* SAUVAGES *Noſol.* T. I. p. 842.

** *Cel.* DALE *Pharmacol.* p. 121.

*** *Cel.* CHATHELAIN *diſſ. de Corallorhiza. Baſil.* 1760. p. 13. In cancro mammarum carnes mortuæ a vivis ſeparabantur, laudabilis ſuppuratio & ſanatio ſequebantur. Et *Ill.* SAUVAGES in *Hiſtoire de l' academie de Paris* 1739. p. 471.

*) *Angeſtellte Verſuche der Wirkung von der Bleywurz in der Heilung der Kräze.* Vide *Auszüge aus den beſten franzöſiſchen periodiſchen medic. Schriften* 5 *Band* p. 211.

CONVOLVULUS SCAMONEA.

Convolvulus Scamonea L. *Purgierwinde.*

Odor radicis nauſeoſus. Sapor acris, ingratus. *Scamonium* ſuccus crudus inſpiſſatus hujus plantæ radicis eſt.

Vis noxia. Scamonium majori doſi datum vehementiſſime purgat & humores in putridum liquamen ſolvit. * Inde fœtidiſſima excrementa a ſcamonio obſervantur.

Antidota antacria.

Virtus medicata. A granis v ad 10 qua purgans in morbis chronicis exhibetur.

CUCUMIS COLOCYNTHIS.

Cucumis Colocynthis L. *Coloquinten.*

Odor pulpæ, qua poma ſcatent, debilis, ingratus. Sapor amariſſimus, nauſeoſus, acriuſculus.

Vis noxia. Pulpa colocynthidis etiam in exigua doſi vehementiſſimas torminoſas, quandoque ſanguinolentas diarrhæas cum teneſmo, ſingultu & ſumma ægritudine facit. Doſis major necem infert, gravidis abortum movet.

Antidota antacria.

---

* *Ill.* Van Swieten *Comment.* I.

VIRTUS MEDICATA. *Extractum aquoſum* ad 2 vel 4 grana in morbis chronicis; *tinctura* ad 15 guttas purgandi cauſa præbetur.

MOMORDICA ELATERIUM.

MOMORDICA Elaterium L. *Eſelskürbſe. Cucumis aſininus.*

ODOR pomorum nullus. SAPOR vix amaricans, acris. Succus lacteus e pomis extractus ſub nomine *Elaterii* in officinis proſtat.

VIS NOXIA. Elaterium majori doſi ingeſtum violentiſſimum emetocatharſim torminoſum & in gravidis abortum ſæpe inducit.

ANTIDOTA antacria.

VIRTUS MEDICATA. A grano dimidio vel uno ad aquas hydropicorum per alvum educendas commendatur.

CAMBOGIA GUTTA.

CAMBOGIA Gutta L. *Gummiguttabaum.* Succus ex arbore fauciata effluens & ſponte inſpiſſatus *Gummi gutta* dicitur.

ODOR hujus gummi-reſinæ nullus. SAPOR vix ullus.

VIS NOXIA. Emetico-draſtica, torminoſa, inflammatoria.

ANTIDOTA antacria.

Virtus medicata. A granis 2 ad 4 datur qua purgans hydragogum in hydrope & tænia. *Externe* in herpete applicatur.

CERBERA AHOVAI.

Cerbera Ahovai L. *Scheelenbaum.*

Odor ligni teterrimus, ferme alliaceus. Sapor acris.

Vis noxia. *Nucleus* fructu incluſus eſt maxime deleterius. *Lignum* in ſtagna injectum piſces adeo reddit ſtupidos, ut manu capi queant. Lignum ob deterrimum odorem pro foco ſtruendo non eſt aptum.

Antidotum. Indi nullum huc uſque contra hoc venenum notum habent. Tententur antacria.

CERBERA MANGHAS.

Cerbera Manghas L. *Herzbaum.*

Odor nullus. Sapor acris, amarus; omnes partes acri ſucco lacteo ſcatent.

Vis noxia. Fructus valde ſunt emetici & in utraque India venenati cenſentur, licet folia hujus arboris in Amboinia pro olere comedi ſoleant.

Antidota antacria.

CYNANCHUM ERECTUM.

CYNANCHUM erectum L. *aufrechter Hundswürger.*

ODOR nullus. SAPOR acris.

VIS NOXIA. Planta ſucco lacteo acri turgens. Foliorum ℥ ß cani dato vehementem vomitum, tremorem, convulſionem & mortem cauſavit.

ANTIDOTA antacria.

VIRTUS MEDICATA. Succus loco ſcamonei quandoque venditur.

LOBELIA SIPHILITICA.

LOBELIA ſiphilitica L. *die Luſtſeuchlobelie, die blaue Cardinalsblume.*

ODOR viroſus. SAPOR tabacinus, acris, linguæ adhærens.

VIS NOXIA. Draſtice purgans, emetica.

ANTIDOTA antacria.

VIRTUS MEDICATA. Feri Americæ ſeptemtrionalis decocto hujus radicis luem veneream æque feliciter ut Europæi mercurio vincere dicuntur. In pertinaciori malo admiſcent radicem *Ranunculi abortivi* L. ſed parce ne ejus acrimonia inteſtina inflammentur. Atque hoc decocto ſimul ulcera eluunt aut ulcera putrida

conſpergunt cortice interiori *Ceanothi americani* L. vel pulvere radicis *Gei rivalis* L.

DOSIS. Radicis manipulus unus coquitur in aquæ menſuris tribus & ter de die libra una bibitur vel ultra; ſi ægrotus vim purgantem amplius ferre nequit, abſtineat ab eo per unum vel alterum diem. Sic intra 3 ſeptimanarum ſpatium lues curari fertur.

LOBELIA LONGIFLORA.

LOBELIA longiflora L. *langblümige Lobelie.*

ODOR florum viroſus, ſuffocans. SAPOR acris, tabacinus, nauſeoſus.

VIS NOXIA. Interne ſumpta hypercatharſim creat, nullis remediis cedentem, tandemque lethalem. Equus hanc ſi comederit rumpi medius fertur, unde nomen apud Hiſpanos ſortita eſt, *Rubenta cavallos*, id eſt equorum diſruptor. Succo ejus infecta manus, ſi oculos labrave fricat, inflammationem inducit urentem. *

ANTIDOTA antacria.

CYNANCHUM VIMIALE.

CYNANCHUM vimiale L. *blattloſer Hundswürger.*

* *Cel.* JACQUIN *Hiſtor. Americ. ſtirp.* p. 220.

Odor foliorum-gratus. Sapor acris.

Vis noxia. Succo lacteo cauſtico turget, quo nocere perſuademur.

Antidota antacria.

Virtus medicata. Non nota.

APOCYMUM ANDROSÆMIFOLIUM.

Apocymum Androſæmifolium L. *canadiſcher Hundekohl.*

Odor nullus. Sapor acris.

Vis noxia. Tota planta ſucco turget lacteo, qui linguam & cutem acrimonia cauſtica afficit. Hominibus, qui ramos decerpunt, tota manus bullis plurimis afficitur. Cutis ſucco illita inflammatur & exulceratur. Ex ſolo halitu hominibus quibusdam facies & manus intumeſcunt.

Antidota antacria.

Virtus medicata non nota.

APOCINUM CANNABINUM.

Apocinum cannabinum L. *virginiſcher Hundekohl.*

Odor nullus. Sapor acris.

Vis noxia ſucco acri lacteo turget, hinc ut prior ſpecies nocet.

Antidota antacria.

VIRTUS MEDICATA. Galli ex lana ſeminum ſibi pulvinaria & americani ex caule linteum ſibi conficiunt.

APOCYNUM VENETUM.

APOCYNUM venetum L. *venetianiſcher Hundekohl.*

ODOR nullus. SAPOR acris.

VIS NOXIA præcedentis.

ANTIDOTA eadem.

ASCLEPIAS GIGANTEA.

ASCLEPIAS gigantea L. *groſſe Aeſculapspflanze.*

ODOR nullus. SAPOR acris.

VIS NOXIA ℥iß ſucci deglutita, vehementiſſima ſymptomata & lethales ſanguifluxus excitare dicitur. *

ANTIDOTA antacria.

VIRTUS MEDICATA. Indi hac planta lac coagulare ſolent. Malabari decoctum foliorum cum oleo mixtum vel folia oleo calido macerata ad tumores arthriticos & podagricos applicant. Decoctum radicis in febre intermittente & puerperis intumeſcentibus interne propinant. Vulnera eodem depurant.

---

* J. BAUCHIN l. c. p. 132.

HYDROCOTILE VULGARIS.

Hydrocotile vulgaris L. *Sumſnabelkraut.*

Odor nullus. Sapor acris.

Vis noxia. Oves hac planta veſcentes, ſtomacace, mictu cruento & inflammatione ventriculi afficiuntur; hinc etiam hominibus hæc planta cenſetur noxia.

Antidota antacria.

Virtus medicata non nota.

OENANTHE FISTULOSA.

Oenanthe fiſtuloſa L. *hohlrohrichte Rebenholde, Waſſerfilipendul.*

Odor ingratus. Sapor acris, nauſeoſus.

Vis noxia. Radix ventriculo ingeſta, inducit ſyncopen, ſummam debilitatem, omnium ſenſuum internorum & externorum abolitionem, convulſionem, tetanum, mortem.

Mirum eſt in cadaveribus demortuorum nec in primis viis, nec in alio viſcere, nec in ſanguine vitium fuiſſe deprehenſum.

Antidota. Vomitorium, * potus copioſus, oleum, lac, mucilago.

---

* In Corſica ex 17. militibus radice hujus plantæ infectis tres moriebantur, reliqui ope vomitorii ſervabantur, *Cel.* Vacher in *Act. helvet. vol.* IV.

Virtus medicata non nota.

OENANTHE CROCATA.

Oenanthe crocata L. *Safrangelbe Rebenholde.*

Odor ingratus. Sapor acris.

Vis noxia. Radix vel folia comeſta furores, vertiginem, capitis & ventriculi dolorem, anxietatem intolerabilem, ardorem in œſophago & ventriculo, epiſtaxim & mortem inducunt. * Imo odor ejusdem in clauſo cubili vertiginem & animi deliquia cauſat. **

Antidota antacria.

Virtus medicata non nota.

SCANDIX INFESTA.

Scandix infeſta L. *ſchädlicher Kerbel.*

Odor teter. Sapor acriuſculus.

Vis noxia. Cenſetur venenata.

Antidota, antacria.

---

art. 2. p. 81. & *Philoſoph. Transact.* vol. L. P. 2. p. 856. Ex aliis 37 militibus moriebatur unus reliqui vomitorio morti eripiebantur. *Cel.* Van der Monde *Journal de Medecine* T. X. 1758. *Mois Nov.* p. 430.

* Stalpart van der Wiel *Obſerv. rarior. Cent.* 1. 1687. *ob.* 43. p. 182. & *Cel.* Schreber *Samml. verm. Schriften* 6 Th. p. 263.

** *Phil. Transact. vol.* 44. *P.* 1. p. 239.

VIRTUS MEDICATA non nota.

THAPSIA FOETIDA.

THAPSIA fœtida L. *wilder Turbith.*

ODOR teter. SAPOR acris.

VIS NOXIA. Vomitum & ſanguifluxum lethalem excitare fertur. *

ANTIDOTA antacria.

VIRTUS MEDICATA non nota.

ALISMA PLANTAGO AQUATICA.

ALISMA Plantago aquatica L. *Waſſerwegerich, groſſer Froſchlöffel.*

ODOR nullus. SAPOR acris.

VIS NOXIA. Ab ejus eſu animalia trucidata ſcribuntur; hinc etiam hominibus funeſta cenſetur.

ANTIDOTA antacria.

VIRTUS MEDICATA. Loco veſicatorii membris œdematoſis applicatur. **

CLEMATIS VITALBA.

CLEMATIS Vitalba L. *gemeine Waldrebe.*

ODOR nullus. SAPOR acris, cauſticus.

VIS NOXIA. Uſum internum hujus plantæ fune-

---

* *Cel.* BLACKWELL.

** ETMULLER *op. omnia.* T. I. p. 437.

ſtum eſſe docet ejus applicatio ad cutem, qua mendici, ut corda hominum ad elemoſinas movent, ſibi puſtulas & ulcera excitant.

ANTIDOTA antacria.

VIRTUS MEDICATA. Trita planta loco veſicatorii applicari poteſt. * Pariſiis turiones tenellæ plantæ tempore vernali forma acetarii ſapidiſſimi commeduntur. ** Seminis ℥j ſcopo purgandi a ruſticis quondam adhibebatur.

CLEMATIS FLAMMULA.

CLEMATIS Flammula L. *Brennwurzel.*

ODOR nullus. SAPOR acris, labia maſticatione inflammans.

VIS NOXIA præcedentis.

ANTIDOTA antacria.

CLEMATIS RECTA.

CLEMATIS recta L. *gerade weiſſe Waldrebe.* Eſt *STÜRKII Flamula jovis.*

ODOR nullus. SAPOR acris, cauſticus, os & [illegible]bia rubefaciens.

---

* *Cel.* CHESNEAU *obſerv. me*[illegible] obſ. 2. p. 421.

** *Memoires de l' Academi*[illegible] 473. & *Cel.* ROHDIUS *obſerv.* [illegible]

Vis noxia. Externe cuti applicata ruborem, puſtulas & excoriationes excitat, hinc ingeſta majori copia ventriculum inflammare deberet.

Antidota antacria.

Virtus medicata. *Infuſum* foliorum in morbis venereis, ulceribus mali moris, tumoribus fungoſis & ſcabie chronica, cephalæa chronica utile fuit deprehenſum. *Pulvis* externe inſpergitur ulceribus fungoſis & aliis difficulter ſanandis. *

Dosis. A grano dimidio ad unum cum ſcrupulo ſacchari datur.

CLEMATIS INTEGRIFOLIA.

Clematis integrifolia L. *gerade blaue Waldrebe.*

Odor vix ullus. Sapor acris, ardens.

Vis noxia præcedentis. Equi Principis Eugenii ... ſcerentur hac planta, in quodam Hun... prato copioſiſſim... te, magnam ... ragem patieba...

... *L. B. de St*... *demonſtra*...
mulam Jovis ... *cum uti*...
exhiberi agr... 9. & 10.
r in *Memoi*... 133.
* *Cel.* T... *gionamento*
agricoltu... p. 196.

Antidota antacria.

Virtus medicata non nota.

ANEMONE PALMATA.

Anemone palmata L. *gelbe Anemone, portugieſiſches Anemonröslein.*

Odor vix ullus. Sapor acris, ingratus, nauſeoſus.

Vis noxia. Ob dolorem ardentem, quem in ore & conſtrictionis ſenſum, quem in faucibus & larynge excitat, venenata cenſetur.

Antidota antacria.

Virtus medicata non nota.

ANEMONE PULSATILLA.

Anemone Pulſatilla L. *gemeine Küchenſchelle.*

Odor vix ullus. Sapor acerrimus, in radice ſimul dulceſcens.

Vis noxia. Plantæ hujus partes omnes, cuti impoſitæ ruborem & veſicas, naribus attracta ſternutationem & ardorem excitant, & ſolis effluviis oculos lædunt. Hinc non poſſunt non intus ſumptæ funeſtos edere effectus, etſi nulla hactenus id demonſtrari poſſit obſervatione. *

* *Cel.* Helwigii *Flora Campana Lipſ.* 1719. p. 86. a floribus in ſyrupum redactis productam dicit vidiſſe tabem pulmonalem.

Anti-

Antidota antacria.

Virtus medicata. Folia ad ulcera inveterata hominum & vulnera equorum laudantur.

ANEMONE PRATENSIS.

Anemone pratenſis L. *ſchwärzlichte Küchenſcheele.* Eſt *Stoerkii Pulſatilla nigricans.*

Odor herbæ recentis vix ullus. Sapor acris inhærens, maſticata fauces & linguam corrodens, etiamſi fauces aqua frigida eluantur.

Vis noxia. Ob acrimoniam ventriculo magna doſi ingeſta, funeſta produceret ſymptomata. *Aqua ſtillatitia* acris & emetica eſt.

Vapor ſub inſpiſſatione ſucci in extractum emanans puero intumeſcentiam & ruborem palpebrarum cum obnubilatione viſus, quæ tamen mala poſt nonnullos dies ſponte evaneſcebant, cauſavit. *

Antidota antacria.

Virtus medicata. Extracti vis eſt diuretica, emmenagoga, reſolvens, ſpecifice in oculos agens, quos levi rubore afficit. Laudatur in panno, amauroſi, cataracta & aliis inveteratis oculorum vitiis. ** Infuſum foliorum ex-

* *Ill.* Bergius *m. med.* p. 490.

** *Ill.* Störk *libellus de uſu medico pulſatillæ nigricantis. Viennæ* 1771.

terne & interne in ulceribus mali moris, in tophis, condylomatibus applicatur.

Dosis. Extractum a grano dimidio ad unum cum ſcrupulo ſacchari datur.

ANEMONE NARCISSIFLORA.

Anemone narciſſiflora L. *Anemone mit Narciſſenblumen.*

Odor nullus. Sapor dulceſcens, acris.

Vis noxia. Genus & ſapor hanc plantam reddunt ſuſpectam.

ANEMONE NEMOROSA.

Anemone nemoroſa L. *Waldanemone. Ranunculus albus.*

Odor nullus. Sapor herbaceus, acris, fauces linguamque ſtimulans.

Vis noxia. Folia & flores recentes cuti applicata ruborem inflammatorium & diutius relicti veſicam atque ulcus manans, dolorificum atque difficillimæ ſanationis inducunt. Majori copia ventriculo ingeſta ſummam anguſtiam & mortem inferunt. *

Kamtſchatkenſes ſucco hujus plantæ ad ſagittas ſuas venenandas utuntur. **

---

* *Cel.* Gmelin *Flora Sibirica* T. IV., p. 199.

** *Ill.* Hallerus l. c. II. p. 199.

Antidota antacria.

Virtus medicata. Herba recens forma epiſpaſtici brachio impoſita tertianas vernales ſæpe curat. * Extractum eſt emmenagogum. Aqua ſtillatitia cenſetur cosmetica, at nimis adhibita faciem arodit.

ANEMONE RANUNCULOIDES.

Anemone ranunculoides L. *Hahnenfuſsartige Anemone.*

Odor nullus. Sapor acris.

Vis noxia. *Sapor* & *ordo* naturalis hujus ſtirpis vim viroſam indicant, licet nulla experimenta pro confirmanda hac probabili opinione adduci poſſint.

Antidota antacria.

HELLEBORUS ALBUS.

Veratrum album L. *weiſſe Nieſswurz.*

Odor radicis ingratus. Sapor nauſeoſus, acerrimus, fauces adurens, diu inhærens.

Vis noxia. Exigua quamvis doſis interne propinata, horrenda ſæpe excitat ſymptomata, ut cardialgiam, tormina, ſingultum, vomitum enormem, ſitim, tremorem, convulſiones, leipothymias, ſudorem frigidum, inflammatio-

* *Ill.* Bergius m. m. p. 492.

nem œſophagi, ventriculi, inteſtinorum, gangrænam, mortem. *

Etiam *externa* hellebori albi applicatio funeſtos quandoque produxit effectus. Pulvis naribus attractus vehementiſſimam movet ſternutationem. Radix abdomini applicata enormem excitavit vomitum. ** Radix forma ſuppoſitorii ano indita idem præſtitit. *** Succus cum butyro cuti ovium ſcabioſarum infricatus mortem attulit. Cuſpides telorum hoc ſucco illiti animalia vulnerata celeriter necant. *)

ANTIDOTA. Lac, oleum, oxymel, multus potus aquoſus.

VIRTUS MEDICATA. Decoctum & unguentum *helleboratum* externe applicatum ſcabiem & tineam ſanat. Ad pediculos fugandos in decocto radicis intingitur ſæpius pecten, quo

* Regius princeps a ſcrupulo hellebori albi aſſumpto, intra trihorium convulſus periit. HELMONT. A ſcrupulo convulſiones motæ. *Ephem. N. C.*

** ETTMULLER *in præfatione ad chirurgiam.*

*** *Cel.* SCHRÖDER.

*) Venenum eſſe *pharicum*, quo veteres lethalia ſua conficiebant tela cenſet *Cel.* HEUCHER Vide MITHRIDATES *opp. omnia* T. I. p. 435. & CÆSALPINI *tract. de venenis* p. 141.

plectuntur capilli; quod remedium efficaciſſimum in hoc morbo eſſe dicitur. An lotio corporis cum hoc decocto remedium in ptyriaſi? Decoctum hoc in aures cophoſi laborantes cum ſucceſſu injicitur. *

VIRTUS MEDICATA. *Interne* hæc radix ſcopo emetico vel purgante vix adhibetur nec unquam ultra grana quædam dari debet. *Oxymel helleboratum* GESNERI ad reſarandas obſtructiones exhibetur.

HELLEBORUS NIGER.

HELLEBORUS niger L. *ſchwarze Nieſswurz.*

ODOR nauſeoſus. SAPOR radicis recentis acris, nauſeoſa, leviter amaricans, inhærens. *Maſticata* linguam acrimonia obſtupefaciens. *Siccata* mitior, in pharmacopoliis diu aſſervata vix acris, niſi diutius maſticata.

VIS NOXIA. Radix *externe* cuti applicata, rubefacit & veſicas inſtar veſicatorii trahit. Pulvis naribus attractus immanem ſternutationem movet, idem ſub pulveriſatione radicis obſervatur. Antiquis moris erat cuſpides ſagittarum ſucco hujus radicis intingere.

* *Cel.* ROTHERAM *diſſ. de remediis purgant. Upſalæ* 1775. p. 18.

Interne data radix multo mitior eſt quam hellebori albi, at majori quantitate præſertim radicis recentis ingeſta hypercatharſim, tormina & animi deliquia imo mortem cauſare poteſt. *

ANTIDOTA præcedentis.

VIRTUS MEDICATA. Radix ſetaceum pro pecoribus præbet. Decocti forma ad pediculos fugandos, pulverata radix ad fiſtularum labia calloſa tolenda quondam adhibita fuit. *Tinctura martis hell:borata WEDELII* in ſuppreſſione menſtruorum aut hæmorroidum commendatur. *Extractum* in melancholia, mania, hydrope, quartana, in lepra & aliis morbis cutaneis, in vermibus inteſtinalibus.

HELLEBORUS FOETIDUS.

HELLEBORUS fœtidus L. *ſtinkende Nieſswurz. Helleboraſtum.*

ODOR herbæ præſertim recentis fœtidus. SAPOR acerrimus, amaricans, *maſticata* os faucesque corrodens.

VIS NOXIA emetico-purgans, cardialgiam, animi deliquia excitans, quidam perdiderunt piſos & ungues, quin ſeparationem ſubierunt epidermidis in toto corpore. ** Ex radice in

* *Ill.* MURRAY *l. c. vol.* III. *p.* 56.

** *Oxford. Magaz for March.* 1779. *p.* 99.

pulpa pomi data infans intra biduum Londini periit. *

ANTIDOTA præcedentis.

VIRTUS MEDICATA. Eſt egregium anthelminthicum. Foliorum ſiccatorum grana XV dantur pueris in decocto. Syrupus ex ſucco recenti confectus ad unum cochleare mane & veſperi propinatur. ** Ab aliquibus laudatur in nephritide, aſtmate pituitoſo. Miſcella ex ſyrupo hellebori fœtidi & tinctura rhei ad eliminandum viſcidum inteſtinorum, ad febres viſcidas tollendas valde commendatur.

VERATRUM NIGRUM.

VERATRUM nigrum L. *die weiſſe Nieſswurz mit ſchwarzrothen Blumen.*

VIS NOXIA ut hellebori albi.

ANTIDOTA eadem.

CALTHA PALUSTRIS.

CALTHA paluſtris L. *Dotterblume.*

ODOR nullus. SAPOR acris, ardens.

---

* *Lond. Chronicle* 1768. n. 1760.

** *Cel.* BISSET *eſſay on the medical conſtitution of grait Britain* p. 329.

Vis noxia. Ob ardentem acrimoniam venenata cenſetur. *

Antidota antacria.

Virtus medicata. Gemmæ florum immaturorum muria acetoque conditæ quondam ut cappa-rides in cibum adhibebantur.

ACONITUM NAPELLUS.

Aconitum Napellus L. *blaues Eiſenhütchen, blaue Wolfswurz.*

Odor herbæ recentis fortis, herbaceus. Sapor herbaceus.

Vis noxia. Quum radix, quæ veneni atrocia reliquis plantæ partibus ſuperior eſt, quatuor latronibus exhiberetur, horum quidem duo poſt multos cruciatos & opem præſtitam evaſerunt, reliqui vero miſere perierunt. Horum uni poſt paucarum horarum inducias imbecillitas inſignis, ſudor frigidus faciei, aſphyxia, ſpaſmi, animi deliquium, involuntaria alvi dejectio, vomitio bilioſa & livida, obmuteſcentia, mors apoplectica naſcebatur. ** Inter acetaria comeſta radix multos necaſſe traditur. *** Homo ex ingeſtis teneris foliis

---

* *Ill.* Haller l. c. p. 82.

** Mattiolus in Dioscorid *ed* C. Bauch. p. 768.

*** Dodon. *ſtirp. Pempt.* 3. L. 4. p. 442.

Napelli in aceterio cum aliis herbis maniacus intra nychhemeri ſpatium moriebatur. * Vir in acetario foliis Napelli uſus, ſervabatur quidem per vomitiones, antiſpaſmodica & annaleptica ſed præceſſerant ſenſus caloris linguam & maxillas, dein reliquum corpus adurentis, intumeſcentia faciei, debilitas artuum, ſubſultus tendinum, languens ſanguinis motus, poſt oleum ingeſtum vomitio, vertigo, caligo oculorum, animi deliquia. ** Chirurgus, qui copiam herbæ recentis devoravit, poſt pertinaciſſimum ſoporem moriebatur, relictis poſt mortem maculis lividis circa collum, dorſum & hinc inde in reliquo corpore. *** Septem flores Napelli in acetario comeſti hominem perimerunt. *)

Vis noxia externa. Succus herbæ per exiguum vulnus pollicis, quum præcideretur ſtirps, intrans non ſolum digiti & brachii dolores ſed etiam cardialgiam, anxietatem cum metu ſuffocationis, lipothymiam, æſtum, gangrænam atque ſuppurationem inſignem excita-

* Willis *de anima brutor.* p. 289.

** *Philoſ. Trans. vol.* 38. p. 287.

*** *Schwed. Abhandl. für das Jahr* 1739.

*) Mathiolus & Brandley.

vit. * Quæ de intumeſcentia, anxietete, animi deliquio & debilitate ex geſtata unice manu planta aut in ſinu a puellis recondita narrantur, hæc vel falſa obſervatione vel peculiari corpori idioſyncraſia niti videntur ** uti attactus toxicodendri aliquos afficit, quibusdam vero non nocet.

ANTIDOTA. Evacuantia cum lacte, oleo, mucilagine, ovis mollibus, dein antiſpasmodica, & analeptica.

VIRTUS MEDICATA. *Extractum* in rheumatiſmo arthridide, febre quartana, ſcrophulis, ſcirrhis, tumoribus oſſeis, ſpina ventoſa, tumore rheumatico articulorum, anchyloſi, œdematoſo tumore crurum poſt febres remanente, *** epilepſia, mania, amauroſi; ulceribus obſtinatis venereis *) aſtmate **) laudatur.

DOSIS. *Extractum* a grano uno ter de die cum

---

* *Cel.* RÖDDER in ALBERTI *Jurisp. med.* T. VI. p. 724.

** *Ill.* MURRAY *app. med.* vol. III. p. 12.

*** *Schwed. Abhandl. für das Jahr* 1776.

*) De his omnibus vide *Ill.* L. B. A STÖRK *lib. de ſtramonio Hyoſciamo Aconito*, & *Ill.* MURRAY *app. med. Vol.* III. p. 14. &c.

**) *Cel.* GREDING. *med. und chirurg. Schriften* Caſ. 7. p. 101.

ſcrupulo ſacchari contritum ad grana plura ſenſim datur.

ACONITUM CAMMARUM.

Aconitum Cammarum L. *Bergſturmhut*, *blaue Wolfswurz*.

Odor herbæ recentis herbaceus, fortis. Sapor ardens, inhærens, acrior quam in Napello.

Vis noxia præcedentis.

Antidota præcedentis.

ACONITUM LYCOCTONUM.

Aconitum lycoctonum L. *gelbes Eiſenhütchen, gelbe Wolfswurz.*

Odor nullus. Sapor acris.

Vis noxia. Radix in acetario comeſta univerſo convivio pernitiem intulit. Flores tantummodo manducati linguæ tumorem & ardorem atque vertiginem excitarunt. * Equi & capræ hac planta innocue veſcuntur; lupis vero atque reliquis animalibus venenum eſt.

Antidota, præcedentis.

Virtus medicata. Radix aqua vel lixivio cocta dat lotionem pro capite pediculoſo. Alii

* Bauhinus l. c. p. 653.

pulverem radicis cum oleo in unguentum redigunt, quo caput illiniunt. *

ACONITUM ANTHORA.

ACONITUM Anthora L. *Giftheil.*

ODOR radicis vix ullus. SAPOR amarus, acris, *maſticata* fauces corrodit, diuque inhæret.

VIS NOXIA. Ob acritatem ſuſpecta.

ANTIDOTA præcedentis.

VIRTUS MEDICATA. Veteres radicem anthoræ pro antidoto aconitorum reliquorum habebant, at deſunt experimenta, quæ id confirmarent.

PASTINACA SATIVA ANNOSA.

PASTINACA ſativa annoſa L. *alter Paſtinak*, hoc eſt, quæ poſt anni ſpatium hyeme evellitur.

VIS NOXIA. Paſtinacæ annoſæ radix delirium, vertiginem, ardorem ingentem ventriculi & oris uti & oculorum, labiorumque intumeſcentiam creat, hinc aliquibus *Paſtinaca inſana* audit. ** Pecora hane plantam intactam relinquunt.

* *Cel.* GEORGI *Bemerkungen einer Reiſe im ruſsiſchen Reiche, im Jahr* 1772.

** *Cel.* MURRAY *app. med.* vol. I. p. 285. & N. A. N. C. *vol.* I. p. 247.

ANTIDOTA, evacuantia, antacria.

POLYGONUM HYDROPIPER.

POLYGONUM Hydropiper L. *Waſſerpfeffer.*

ODOR nullus. SAPOR acris, planta *ſiccata* mitior.

VIS NOXIA. Herba recens ob rodentem acrimoniam ſuſpecta eſt.

ANTIDOTA præcedentis.

VIRTUS MEDICATA. Ad ulcera equorum ſananda laudatur.

SÆLANTHUS QUADRAGONUS.

SÆLANTHUS quadragonus L. *viereckige arabiſche Winde.*

ODOR vix ullus. SAPOR acris, ardens.

VIS NOXIA. Ob acrimoniam ardentem, quam linguæ, ſi maſticetur, & manui, ſi tangatur, imprimit, venenata in Arabia cenſetur.

ANTIDOTA præcedentis.

SÆLANTUS FORSKALII.

SÆLANTHUS Forskalii. Arabiſche Winde.

VIS NOXIA præcedentis.

SÆLANTHUS GLANDULOSUS.

SÆLANTHUS glanduloſus FORSKALII. *Arabiſche Winde mit eſsbaren Beeren.*

Odor radicis nullus. Sapor dulceſcens, dein acris, ardens.

Vis noxia præcedentis.

Antidota præcedentis.

Virtus medicata. Baccæ abſque noxa comedi poſſunt.

JATROPHA CURCAS.

Jatropha Curcas L. *amerikaniſcher Brechnuſsbaum. Semina Ricini majoris.*

Odor ſeminum nullus. Sapor gratus, amygdalinus, ſubdulceſcens, tum acriuſculus, poſtea fauces mordens.

Vis noxia. Semen comeſtum vehementiſſimam emeto-catharſim, tormina, inflammationem & eroſionem ventriculi atque inteſtinorum excitat.

Antidota præcedentis.

Virtus medicata. Semina ſine noxa comedi poſſunt, ſi duo illa foliola, quæ medietatem nuclei dividunt (plumula nempe & diſſepimentum) antea probe auferantur. * Oleum

* *Cel.* Bancrofts *natural hiſtory of Gujana London* 1779. p. 34. & 35. proprio in corpore experimentum inſtituit *Cel.* Ives *Reiſe nach Indien* 2 Th. 1775.

e ſeminibus expreſſum vocatur *oleum ricinum.* Doſi cochlearis unius datum ut purgans validum in omnibus hydropis ſpeciebus, iliaca paſſione, arthritide, pſora & ulceribus manantibus laudatur * Hoc oleum purgandi vim exſerit, ſive deglutiatur, ſive in anum injiciatur, ſive denique extus ventri illiniatur.

JATROPHA MULTIFIDA.

JATROPHA multifida L. *franzöſiſche Purgiernuſs.*

ODOR nullus. SAPOR foliorum amarus, acris.

VIS NOXIA. Nuclei ſeminum comeſti periculoſam emeto-catharſim cum vehementiſſimis torminibus & inteſtinorum inflammationem excitant.

ANTIDOTA præcedentis.

VIRTUS MEDICATA. Decoctum foliorum, quod etiam emeto-catharticum eſt, antidotum mancinellæ eſſe fertur.

JATROPHA MANIHOT.

JATROPHA Manihot L. *Caſſava - Manihot. Manipuera.*

ODOR radicis nullus. SAPOR ſubdulcis, minime acris.

---

* *Cel.* CLUSII T. I. p. 299.

Vis noxia. Radix cruda & recens comeſta cito perimens venenum eſt, quod convulſiones, meteoriſmum abdominis & demum abolitionem virium vitalium cauſat. Eadem ſymptomata ſuccus recens expreſſus excitat. Succo illo intus hauſto corpus inflatur, ventriculus dolet cum ructu, nauſea, teneſmo, oculi obfuſcantur, vertigines, perpetuique dolores capitis accedunt, tandemque extremorum frigus, animi deliquium & ipſa mors ſuccedit. *

Antidota ſunt prægreſſo emetico ſal alcalinus (ut ſal abſynthii cum aqua menthæ) piper, taffia ſeu ſpiritus ſacchari. Mirum denique eſt radicem in farinam pulveriſatam ſola *toſtione* & ſuccum expreſſum ſola *coctione* aut ſola *fermentatione* innocuum reddi.

Virtus medicata. Radix ſiccata eſt panis americanorum. Americani e radice in aqua macerata, dein raſtro in farinam redacta ſuccum venenatum torcularis ope exprimunt; tum farinam in lamina ferrea igne moderato torrent. Ex hac farina panem candidiſſimi coloris & delicati ſaporis ſibi conficiunt, quem abſque omni noxa comedunt. Farina Manihot per ſæcula ſine corruptione ſervari poſſe dicitur.

* Piso *Hiſt. natur. l.* 5. *cap.* 17.

Ex

Ex ſucco expreſſo & fermentato potus valde inebrians ab Americanis paratur & ſuccum recentum cum pipere pro embemmate gratiſſimi ſaporis ad carnes ferinas coquunt. Animalia hac radice vel ſucco perempta tuto manducari poſſunt. *

RICINUS COMMUNIS.

RICINUS *communis* L. *gemeiner Wunderbaum.* *Cataputia major*, ad differentiam *Euphorbiæ lathyris*, quæ *Cataputia minor* etiam audit.

ODOR ſeminis nullus. **SAPOR** debilis, vix dulceſcens, acriuſculus, maſticata ſemina fauces rodunt.

VIS NOXIA ſeminis emetico-purgans, inflammans. Semen unicum tempore veſpertino, a viro ſano & vegeto maſticatum & deglutitum, ſenſationem mordentem in faucibus reliquit. Nox tranquilla fuit, ſed ſequenti die mane expergefactus, emeſi violenta correptus fuit & per totam diem ſuſtinuit niſus alternantes vomituritionis & purgationes alvi etſiamſi parum dejiciebat. ** Acrimonia draſtica in teſta

* *Cel.* BANCROTTS l. c. p. 41. & *Cel.* FERMIN *deſcription hiſtorique de la colonie de Surinam.* Vol. 1. 1769.

** *Ill.* BERGIUS l. c. p. 773. & 774.

& membrana nucleum obvelante reſidet; matrona nobilis ſemen unicum teſta abjecta comedit & nullam noxam inde ſenſit.

Antidota antacria.

Virtus medicata. Oleum e ſeminibus preſſum, *Oleum ricini* ſeu *Oleum Palmæ Chriſti* vocatur. Recens & non rancidum vix acre & blandum eſt atque ut tutum purgans in colica, volvulo, nephritide, hernia incarcerata, colica pictonum, gonorrhæa, febribus bilioſis & inflammatoriis atque in tænia & aliis vermibus inteſtinorum impenſe laudatur. *

In volvulo & calculo felleo, ubi vomiturititiones frequentes cum ſingultibus urgent & ubi alia purgantia communiter fallunt ob vomitus inſequentes, inſigni cum emolumento hoc oleum datum fuit. ** Spasmi ſcilicet relaxati & alvus ſoluta fuere, inde non ſolum levamen ſed & plenaria curatio ſecuta. ***

Dosis. Ad unum cochlear ſingulis horis exhiberi

---

* *Medical obſervations' and inquiries. vol.* 2. p. 235. & *Cel.* Cavane *on the oleum palmæ Chriſti ſeu oleum riçini or, as it is commonlye called, Caſtor-oil* &c. *London* 1769.

** *Ill.* Bergius *l. c.* p. 773.

*** De uſu externo vide *pharmacologiam chirurgicam.* p. 83.

ſolet, uſque dum alvus duci incipiat. Infantibus ad unam vel duas drachmas propinatur.

PHYTOLACCA DECANDRA.

PHYTOLACCA *decandra* L. *Alkermes. Virginiſche Phytolacke.*

Odor herbæ nullus. Sapor herbæ teneræ mitis, herbæ adultæ acris.

Vis noxia. Succus radicum & foliorum adultorum vehementem emeto-catharſim excitare dicitur.

Antidota antacria.

Virtus medicata. Tenella planta primo vere a Virginiæ incolis in olere eduntur. *Baccæ* in autumno ab infantibus impune ſæpe comeduntur. *Succus expreſſus* jam adultorum foliorum in ſole ad unguenti conſiſtentiam inſpiſſatus contra cancrum & ulcera antiqua profunda laudatur. * Ego in cancro faciei nullum inde vidi effectum.

CROTON TIGLIUM.

CROTON *Tiglium* L. *Molucaniſche Purgierkörner, Grana Tiglia* vel *Tilli. Pineæ purgantes.*

Odor ſeminum vix ullus. Sapor acris, urens, nauſeoſus.

---

* *Acta ſuecica de anno* 1743 & 1744.

Vis noxia. Draſtico-emetica, ventriculum inflammans. Horum nucleorum granum unum valide purgat, doſis major emeto-catharſim excitat; nuces quatuor deglutitæ enecant. *Oleum* e nucleis *expreſſum* pariter acerrimum eſt, & lignum arboris, quod *lignum Pavanæ* vel *Moluccanum* dicitur, majori doſi idem præſtat.

Antidota antacria.

Virtus medicata. Grana duo *granorum Tigliæ* cum ſacchari albi ʒß in tænia laudatur. * *Oleum* externe ſcopo purgandi umbilico illinitur. Decoctum *ligni Pavanæ* ob vim purgantem & diureticam in hydrope commendatur. Moluccenſes, dum purgare volunt, nucem unam pro doſi deglutiunt. Hiſce nucibus etiam piſces captare ſolent.

DAPHNE MEZEREUM.

Daphne Mezereum L. *Kellerhalſs.* *Coccumgnidium.*

Odor baccarum nullus. Sapor acerrimus; linguam & fauces deurens, inflammans.

Vis noxia. Emetico-draſtica, cardialgica, ventriculum inflammans. *Baccæ* recentes preſſæ *oleum* ſudant, quod deguſtatum mox linguam & fauces inflammat, atque ſuffocationem in-

---

* *Cel.* Cohausen.

ducit. * Empyrici & mulierculæ ruri baccas Coccumgnidii deleterio ſæpe effectu in morbis chronicispropinant. **

Antidota antacria.

Virtus medicata. Cortex radicis in decocto datus, laudatur ut ſpecificum in tophis venereis & doloribus oſteo-copis. ***

DAPHNE THYMELÆA.

Daphne Thymelœa L. *Seidelbaſt. Cortex mezerei officinarum.*

Odor corticis nullus. Sapor corticis ſicci vix ullus, ſed ſi diutius in ore retineatur, valde acris, fauces excandefaciens, ardore diu inhærente, etiamſi fauces cum aqua frigida bene elutæ fuerint. Recens cortex acerrimus, inflammans.

Vis noxia emetico-draſtica, cardialgica, ventriculum inflammans, deurens.

Antidota præcedentis.

---

* *Ill.* Van Swieten *Comment.* T. 1. p. 638.

** Puella febre intermittente laborans, cui mater 12 baccas ſcopo purgandi propinavit, hæmoptoica miſere periit. *Ill.* Linnæi *Flora ſuecica.* n. 338.

*** *Cel.* Russel *medical obſervat. and inquir.* T, 3. *p.* 189. id ſedecim caſibus practicis comprobat. V. *Pharmacologiam chirurgicam.*

VIRTUS MEDICATA. Cortex in aqua emollitus & cuti applicatus, illam epidermide deraſa leviter exculcerat, ſerum allicit, hinc ſub forma cauterii, quod *Exutorium* vocant, adhibetur. V. *Pharmacologiam chirurgicam*.

DAPHNE LAUREOLA.

DAPHNE *laureola* L. *Immergrüner Kellerhalſs*.
ODOR nullus. SAPOR acerrimus.
VIS NOXIA præcedentis.
ANTIDOTA eadem.

DAPHNE CNEORUM.

DAPHNE *Cneorum* L. *ſchweizeriſcher Kellerhalſs*.
VIS NOXIA præcedentis.

DAPHNE GNIDIUM.

DAPHNE *Gnidium* L. *Italieniſcher Kellerhalſs*.
VIS NOXIA præcedentis.

CNEORUM TRICOCCUM.

CNEORUM *tricoccum* L. *Zeiland*.
ODOR nullus. SAPOR acerrimus.
VIS NOXIA convenit cum Daphnide laureola.

AMYRIS TOXIFERA.

AMYRIS *toxiſera* L. *Giftbaum*.

Vis noxia. E trunco arboris ſuccus nigerrimus effluit, qui ab incolis Carolinæ venenatus cenſetur.

RHUS VERNIX.

Rhus vernix L. *Firnisbaum.*

Odor plantæ ſauciatæ, ſuccum lacteum ſtillantis ingratiſſimus.

Vis noxia. Sola evaporatio præſertim calidis æſtatis diebus & fumus ligni recentis præſertim vero adtactus ligni, vel ejus ſucci oculorum pruritum, parvas urentes puſtulas, tumores dolorificos faciei, manuum & ſæpe totius corporis excitat. Operarii, qui vernicem ex hac arbore extrahunt, eryſipelate univerſali intra diem afficiuntur, facies deformatur, corpus intumeſcit, quaſi lepra infectum videtur, cutis ubique crepat, unde multum ſeri effluit, demum cutis exſiccatur, decidit & nova ſuccreſcit.

Nihilominus tamen ſunt nonnulli, quibus arborem hanc manibus contrectare, excorticare, lignum inter digitos terere, ſucco inungi impune licet.

Antidota. Cura petitur ex hydragogo vehementi, dein balnea in decocto cimarum abietis, & corticis caſtanearum cum nitro & baſella,

ſtuphæ hujus decocti adhibentur & cinis baſellæ vulneribus inſpergitur. *

RHUS RADICANS.

RHUS radicans L. *wurzelnder Sumach.*

VIS NOXIA at multo debilior quam præcedentis.

RHUS TOXICODENDRON.

RHUS Toxicodendron L. *Eichenblätterrichter Giftbaum.*

VIS NOXIA præcedentis. Succus ejus in nonnullorum corpus nullas exerit vires; cum aliorum cutim adeo afficiat, ut deſquamari debeat. Idem ſuccus in vulnus canis vel gallinæ immiſſus, aut cum carne illis exhibitus, nil præter leves ſpaſmos contractionesque produxit.

ANTIDOTA. Applicetur lac cum herbis emollientibus in quo camphora ſoluta.

SCILLA MARITIMA.

SCILLA maritima L. *Meerzwiebel.*

ODOR bulbi recentis vix ullus. SAPOR intenſius amarus, acris, nauſeoſus, diu inhærens. *Siccatione* manet amarities, perditur acredo.

VIS NOXIA. Largior doſis ventriculum valde offendit, appetitum dejicit, non raro vomitum

---

* *Cel.* DU HALDE *Hiſtoire de la Chine* p. 317.

movet, in quibusdam alvum torminoſam & ſpeciem dyſenteriæ producit, imo in ſubjectis ſenſilioribus alvi tormina in convulſiones, ut in infante vidi, tranſeunt. Sanguinis craſſim diſſolvit, hinc in hydropicis quandoque ab ejus largiori uſu, intenſior quandoque ſanguineus urinæ color, fœces alvinæ & ſerum hydropicum ſanguine conſpurcata. Scilla muribus venenum eſt.

Antidota mucilaginea, oleoſa, lac, nervina.

Virtus medicata. *Oxymel ſcilliticum* eſt præſtantiſſimum ſolvens, exſpectorans & diureticum in aſtmate pituitoſo & hydrope. Sed in aſcitide, ubi ardor viſcerum, pulſus durus, heparque infarctum eſt, nocet, ſcirrhos viſcerum irritat.

EXCOECARIA AGALLOCHA.

Excoecaria Agallocha L. *blindmachender Baum.*

Vis noxia. Magnam quantitatem ſucci lactei acerrimi maxime in ramis hæc arbor continet; adeo ut vulnerata planta ſuccus vi maxima exſiliat, qui cutim immediate attingens, non tantum dolores vehementiſſimos excitat, ſed etiam maxime ſi ad oculos pervenerit, inflammationem, tumorem & niſi citam adferas opem, cœcitatem cauſat. *

* Rumpf. l. c. p. 237.

Antidota. Applicetur cataplaſma e lacte, emollientibus & anodynis.

ANACARDIUM OCCIDENTALE.

Anacardium occidentale L. *abendländiſche Elephantenlaus.*

Odor receptaculi maturi ſuavis. Sapor teſtæ cauſticus, os inflammans, at ſapor nuclei gratus ut amygdalæ dulcis.

Vis noxia fructus recens cum teſta deglutitus nocuus.

Antidota antacria.

Virtus medicata. Incolæ Jamaicæ fabas has carbonibus injiciunt, donec exterius putamen, quod acre eſt, dehiſcat & ſeparari poſſit, atque nucleum dein comedunt. Oleum acre ſub fructus toſtione transſudans ad verucas & clavos delendos adhibent.

ANACARDIUM ORIENTALE.*

Anacardium orientale. ✡ *Morgenländiſche Elephantenlaus.*

Vis noxia. Succus diploes oleoſus, ater, acerrimus, hinc venenatus.

---

* *Ill.* Bergii *m. m.* p. 887. Statuunt quidam, nuces has ab *Avicennia tomentoſa* L. eſſe. Sed *Cel.* Jacquin, qui Avicenniam in ſolo natali examinavit, id negat.

Virtus medicata. Succus diploes potiſſimum ab Indis uſurpatur ad lintea litterarum notis inſignienda, hæc nigrities nec ſalibus lixivioſis nec ſapone deleri ſe ſinit; & ſuccus utut valde cauſticus eſt, lintea tamen non corrodit.

CARYOTA URENS.

Caryota urens L. *brennende Palme*.

Odor baccarum nullus. Sapor ardens, cauſticus.

Vis noxia. Baccæ ob acrimoniam cauſticam ventriculo ſine inflammationis metu ingeri nequeunt.

Antidota antacria.

Virtus medicata. Apices foliorum ab Indis forma oleris præparantur & comeduntur. E medula caulium ſpeciem Sagu conficiunt.

ARUM MACULATUM.

Arum maculatum L. *gemeine Aronswurz*.

Odor radicis recentis nullus. Sapor primum inſipidus, mox vero pungens, qui ſenſus punctorius paullatim increſcit haud aliter ac mille acus pungerent, ſenſatio diu inhæret etiamſi os eluatur aqua pura; oleoſis vero mitigatur. *Diu ſiccatæ* vero radicis ſapor mitis, farinaceus eſt & iners.

Vis noxia. A majore recentis radicis doſi cardialgia lethalis, * vomitus cruentus, inflammatio ventriculi.

Antidota. Radix exſiccata, aut in vino vel aceto macerata mitior evadit.

Virus medicata. *Radix* magno cum ſucceſſu ad fundendam pituitam, ad erigendas atoni ventriculi vires, & obſtructiones hypochondriacorum ſolvendas adhibetur in anorexia a colluvie pituitoſa, in cephalæa ſympatica, ** aſtmate pituitoſo, cachexia, febribus intermittentibus, ſubito ingruente aphonia, *** & paralyſi debellanda. *Folia* iisdem at minoribus quam radix, pollent viribus. Uſus *externus* ad ulcera inveterata & carioſa forma cataplasmatis adhibetur.

Expreſſo radicis ſucco radix in nonnullis regionibus in eſcam cedit.

---

* *Ill. L. B.* de Störk juvenem cardialgia rapi vidit. Ab infuſo foliorum recentium cardialgia lethalis, *Ill.* Haller l. c. p. 160. Ab infuſo foliorum vomitum cruentum adnotavit Stehelinus.

** *Ill.* Bergius l. c. p. 723. Pulvis ari compoſitis dicit, pertinaciſſimas cephaleas ſympaticas, quæ omnes eludunt medelas, curat.

*** *Cel.* Burggraf *Lexic. univerſ. med.* 1. p. 1092.

ARUM DRACUNCULUS.

ARUM Dracunculus L. *Schlangenkraut.*

VIS NOXIA. Radicis ſapor urens analogiam cum priori monſtrat.

ARUM DRACONTIUM.

ARUM Dracontium L. *amerikaniſche Aronswurz.*

VIS NOXIA præcedentis.

ARUM COLOCASIA.

ARUM Colocaſia L. *Colocaſia. Egyptiſche Aronswurz.*

VIS NOXIA. Totius plantæ ſapor ardens, acerrimus.

VIRTUS MEDICATA. Acerrima hæc radix cocta vel aſſata nutriens & ſapidiſſimus fertur eſſe cibus; hinc etiam radix cruda dicitur eſculenta eſſe, ideo in Aegypto toti agri hac planta ſunt conſiti. Tenella folia & caules forma acetarii comeduntur.

ARUM ESCULENTUM.

ARUM eſculentum L. *eſsbare Aronswurz.*

VIS NOXIA. Arum hoc crudum acerrimum, corroſivum & lethale eſt.

VIRTUS MEDICATA. Hoc arum in Africa & Ame-

merica editur coctum in duplici aqua vel aſſatum.

ARUM VIRGINICUM.

Arum virginicum L. *Virginiſche Aronswurz.*

Vis noxia præcedentis.

Virtus medicata. Radix, quæ quandoque craſſitiem hominis adulti obtinet, ab Americanis vel aſſata vel cocta editur, ſaporem ſolani tuberoſi vel convolvuli Batatas referre dicitur cocta. *

ARUM ARBORESCENS.

Arum arboreſcens L. *Aronsbaum.*

Vis noxia. Tota planta ſucco acerrimo turget. Caules cocti tamen pro olere eduntur ab Americanis.

ARUM SEGUINUM.

Arum ſeguinum L. *Aronswurzel mit Blumen ohne Blätter.*

Vis noxia. Succo turget acerrimo, qui ſola lingua guſtatus aphoniam inducere dicitur.

---

* *Cel.* Kalms *Reiſe nach dem nördlichen Amerika. Göttingen* II Theil p. 273. & 426. III Th. 1764. p. 67.

CALLA PALUSTRIS.

CALLA paluſtris L. *Sumpf-Calla.*

ODOR radicis recentis debilis, ſubaphrodiſiacus. SAPOR acris; maſticata primum inſipida dein pungens, qui ſenſus punctorius ſenſim increſcit etiam abjecta radice & poſt vehemens fit, manifeſtans ſe in toto ore cum affluente ſaliva copioſa & tenaci moleſtiſſimus, inhærens, durans, labiis ipſis palleſcentibus, exſanguibus quaſi, obſtupeſcentibus & velut aqua fervida aduſtis, tandem ſponte evaneſcunt hæ ſequelæ. *

VIS NOXIA. Radix ſaporem habet urentem fere cauſticum iguis adinſtar, attamen, quod mirum eſt, ex ea panem conficere norunt Weſtrobothinenſes, Oſtrobothinenſes & Novaculæ lapponiæ. **

EUPHORBIA OFFICINARUM.

EUPHORBIA officinarum L. *gemeines Euphorbium. Gummi Euphorbii.*

ODOR gummi debilis. SAPOR primum nullus, deinde valde punctorius, calidus, nauſeoſus,

---

* *Ill.* BERGIUS m. m. p. 724.

** *Cel.* KALM l. c. III Th. p. 68. & LINNÉ *flora lapponica* n. 320.

inhærens. *Maſticata* hæc gummi-reſia inter dentes friabilis, ſolvitur in ore, linguam & fauces pungit uti mille acus, fere ut radix ari, ſed fervida ſimul ſentitur & diutiſſime inhæret, quamvis fauces aqua frigida ſæpius eluantur.

Vis noxia. Interne data vi ſua cauſtica inflammationem oris, ventriculi, inteſtinorum, emeto-catharſin, dyſenteriam dolentiſſimam altero die lethalem, convulſiones periodicas cum graviſſimis doloribus, ſitim, ſingultum, animi deliquia, ſudorem frigidum, mortem inducit.

Euphorbium *externe* cuti applicatum ruborem inflammatorium, veſicas, eroſionem partium mollium & ipſorum oſſium.

Naribus forma pulveris attractum vehementiſſimam ſternutationem, ingentem capitis, faciei & oris intumeſcentiam inflammatoriam cum dyſuria cauſat.

Antidota. Obvolventia oleoſa, mucilaginoſa, lac, antacria.

Virtus medicata. Ob vim ſumme cauſticam & inflammantem nunquam interne tuto datur. Nec vis ſternutatoria tuto adhibetur. *Tinctura* in carie oſſium, & decoctum in ſcabie equorum laudatur.

EUPHOR-

EUPHORBIA ANTIQUORUM.

EUPHORBIA antiquorum L. ſeu *Tithymalus*, *wahre Euphorbie*.

VIS NOXIA. Omnes Euphorbiæ ſeu Tithymali in eo conveniunt, ut ſint valde acres, cauſtici: hinc interne propinatæ volentiſſime ſurſum & deorſum purgant, atque inteſtina inflammant.

EUPHORBIA CANARIENSIS.

EUPHORBIA canarienſis L. *canariſches Euphorbium*.

VIS NOXIA præcedentis.

EUPHORBIA TIRUCALLI.

EUPHORBIA Tirucalli L. *oſtindiſches Euphorbium*.

VIS NOXIA præcedentis.

EUPHORBIA PEPLUS.

EUPHORBIA Peplus L. *runde Wolfsmilch*.

VIS NOXIA præcedentis.

EUPHORBIA LATHYRIS.

EUPHORBIA Lathyris L. *Springkörner*. *Cataputia minor*.

ODOR nullus. SAPOR vix ullus. *Maſticati* ſe-

VIRTUS MEDICATA. Cortex in aqua emollitus & cuti applicatus, illam epidermide deraſa leviter exculcerat, ſerum allicit, hinc ſub forma cauterii, quod *Exutorium* vocant, adhibetur. V. *Pharmacologiam chirurgicam*.

DAPHNE LAUREOLA.

DAPHNE *laureola* L. *Immergrüner Kellerhalſs*.
ODOR nullus. SAPOR acerrimus.
VIS NOXIA præcedentis.
ANTIDOTA eadem.

DAPHNE CNEORUM.

DAPHNE *Cneorum* L. *ſchweizeriſcher Kellerhalſs*.
VIS NOXIA præcedentis.

DAPHNE GNIDIUM.

DAPHNE *Gnidium* L. *Italieniſcher Kellerhalſs*.
VIS NOXIA præcedentis.

CNEORUM TRICOCCUM.

CNEORUM *tricoccum* L. *Zeiland*.
ODOR nullus. SAPOR acerrimus.
VIS NOXIA convenit cum Daphnide laureola.

AMYRIS TOXIFERA.

AMYRIS *toxiſera* L. *Giſtbaum*.

Vɪs ɴoxɪᴀ. E trunco arboris ſuccus nigerrimus effluit, qui ab incolis Carolinæ venenatus cenſetur.

RHUS VERNIX.

Rhus vernix L. *Firnisbaum.*

Oᴅᴏʀ plantæ ſauciatæ, ſuccum lacteum ſtillantis ingratiſſimus.

Vɪs ɴoxɪᴀ. Sola evaporatio præſertim calidis æſtatis diebus & fumus ligni recentis præſertim vero adtactus ligni, vel ejus ſucci oculorum pruritum, parvas urentes puſtulas, tumores dolorificos faciei, manuum & ſæpe totius corporis excitat. Operarii, qui vernicem ex hac arbore extrahunt, eryſipelate univerſali intra diem afficiuntur, facies deformatur, corpus intumeſcit, quaſi lepra infectum videtur, cutis ubique crepat, unde multum ſeri effluit, demum cutis exſiccatur, decidit & nova ſuccreſcit.

Nihilominus tamen ſunt nonnulli, quibus arborem hanc manibus contrectare, excorticare, lignum inter digitos terere, ſucco inungi impune licet.

Aɴᴛɪᴅᴏᴛᴀ. Cura petitur ex hydragogo vehementi, dein balnea in decocto cimarum abietis, & corticis caſtanearum cum nitro & baſella,

ſtuphæ hujus decocti adhibentur & cinis baſellæ vulneribus inſpergitur. *

RHUS RADICANS.

RHUS radicans L. *wurzelnder Sumach.*

VIS NOXIA at multo debilior quam præcedentis.

RHUS TOXICODENDRON.

RHUS Toxicodendron L. *Eichenblätterrichter Giftbaum.*

VIS NOXIA præcedentis. Succus ejus in nonnullorum corpus nullas exerit vires; cum aliorum cutim adeo afficiat, ut deſquamari debeat. Idem ſuccus in vulnus canis vel gallinæ immiſſus, aut cum carne illis exhibitus, nil præter leves ſpaſmos contractionesque produxit.

ANTIDOTA. Applicetur lac cum herbis emollientibus in quo camphora ſoluta.

SCILLA MARITIMA.

SCILLA maritima L. *Meerzwiebel.*

ODOR bulbi recentis vix ullus. SAPOR intenſius amarus, acris, nauſeoſus, diu inhærens. *Siccatione* manet amarities, perditur acredo.

VIS NOXIA. Largior doſis ventriculum valde offendit, appetitum dejicit, non raro vomitum

---

* *Cel.* DU HALDE *Hiſtoire de la Chine* p. 317.

movet, in quibusdam alvum torminoſam & ſpeciem dyſenteriæ producit, imo in ſubjectis ſenſilioribus alvi tormina in convulſiones, ut in infante vidi, tranſeunt. Sanguinis craſſim diſſolvit, hinc in hydropicis quandoque ab ejus largiori uſu, intenſior quandoque ſanguineus urinæ color, fœces alvinæ & ſerum hydropicum ſanguine conſpurcata. Scilla muribus venenum eſt.

ANTIDOTA mucilaginea, oleoſa, lac, nervina.

VIRTUS MEDICATA. *Oxymel ſcilliticum* eſt præſtantiſſimum ſolvens, expectorans & diureticum in aſtmate pituitoſo & hydrope. Sed in aſcitide, ubi ardor viſcerum, pulſus durus, heparque infarctum eſt, nocet, ſcirrhos viſcerum irritat.

EXCOECARIA AGALLOCHA.

EXCOECARIA Agallocha L. *blindmachender Baum.*

VIS NOXIA. Magnam quantitatem ſucci lactei acerrimi maxime in ramis hæc arbor continet; adeo ut vulnerata planta ſuccus vi maxima exſiliat, qui cutim immediate attingens, non tantum dolores vehementiſſimos excitat, ſed etiam maxime ſi ad oculos pervenerit, inflammationem, tumorem & niſi citam adferas opem, cœcitatem cauſat. *

* RUMPF. l. c. p. 237.

Antidota. Applicetur cataplaſma e lacte, emollientibus & anodynis.

ANACARDIUM OCCIDENTALE.

Anacardium occidentale L. *abendländiſche Elephantenlaus.*

Odor receptaculi maturi ſuavis. Sapor teſtæ cauſticus, os inflammans, at ſapor nuclei gratus ut amygdalæ dulcis.

Vis noxia fructus recens cum teſta deglutitus nocuus.

Antidota antacria.

Virtus medicata. Incolæ Jamaicæ fabas has carbonibus injiciunt, donec exterius putamen, quod acre eſt, dehiſcat & ſeparari poſſit, atque nucleum dein comedunt. Oleum acre ſub fructus toſtione transſudans ad verucas & clavos delendos adhibent.

ANACARDIUM ORIENTALE.*

Anacardium orientale. ☿ *Morgenländiſche Elephantenlaus.*

Vis noxia. Succus diploes oleoſus, ater, acerrimus, hinc venenatus.

---

* *Ill.* Bergii *m. m.* p. 887. Statuunt quidam, nuces has ab *Avicennia tomentoſa* L. eſſe. Sed *Cel.* Jacquin, qui Avicenniam in ſolo natali examinavit, id negat.

VIRTUS MEDICATA. Succus diploes potiſſimum ab Indis uſurpatur ad lintea litterarum notis inſignienda, hæc nigrities neç ſalibus lixivioſis neç ſapone deleri ſe ſinit; & ſuccus utut valde cauſticus eſt, lintea tamen non corrodit.

CARYOTA URENS.

CARYOTA urens L. *brennende Palme.*

ODOR baccarum nullus. SAPOR ardens, cauſticus.

VIS NOXIA. Baccæ ob acrimoniam cauſticam ventriculo ſine inflammationis metu ingeri nequeunt.

ANTIDOTA antacria.

VIRTUS MEDICATA. Apices foliorum ab Indis forma oleris præparantur & comeduntur. E medula caulium ſpeciem Sagu conficiunt.

ARUM MACULATUM.

ARUM maculatum L. *gemeine Aronswurz.*

ODOR radicis recentis nullus. SAPOR primum inſipidus, mox vero pungens, qui ſenſus punctorius paullatim increſcit haud aliter ac mille acus pungerent, ſenſatio diu inhæret etiamſi os eluatur aqua pura; oleoſis vero mitigatur. *Diu ſiccatæ* vero radicis ſapor mitis, farinaceus eſt & iners.

VIS NOXIA. A majore recentis radicis doſi cardialgia lethalis, * vomitus cruentus, inflammatio ventriculi.

ANTIDOTA. Radix exſiccata, aut in vino vel aceto macerata mitior evadit.

VIRUS MEDICATA. *Radix* magno cum ſucceſſu ad fundendam pituitam, ad erigendas atoni ventriculi vires, & obſtructiones hypochondriacorum ſolvendas adhibetur in anorexia a colluvie pituitoſa, in cephalæa ſympatica, ** aſtmate pituitoſo, cachexia, febribus intermittentibus, ſubito ingruente aphonia, *** & paralyſi debellanda. *Folia* iisdem at minoribus quam radix, pollent viribus. Uſus *externus* ad ulcera inveterata & carioſa forma cataplasmatis adhibetur.

Expreſſo radicis ſucco radix in nonnullis regionibus in eſcam cedit.

---

* *Ill. L. B.* DE STÖRK juvenem cardialgia rapi vidit. Ab infuſo foliorum recentium cardialgia lethalis, *Ill.* HALLER l. c. p. 160. Ab infuſo foliorum vomitum cruentum adnotavit STEHELINUS.

** *Ill.* BERGIUS l. c. p. 723. Pulvis ari compoſitis dicit, pertinaciſſimas cephaleas ſympaticas, quæ omnes eludunt medelas, curat.

*** *Cel.* BURGGRAF *Lexic. univerſ. med.* I. p. 1092.

ARUM DRACUNCULUS.

ARUM Dracunculus L. *Schlangenkraut.*

VIS NOXIA. Radicis ſapor urens analogiam cum priori monſtrat.

ARUM DRACONTIUM.

ARUM Dracontium L. *amerikaniſche Aronswurz.*

VIS NOXIA præcedentis.

ARUM COLOCASIA.

ARUM Colocaſia L. *Colocaſia. Egyptiſche Aronswurz.*

VIS NOXIA. Totius plantæ ſapor ardens, acerrimus.

VIRTUS MEDICATA. Acerrima hæc radix cocta vel aſſata nutriens & ſapidiſſimus fertur eſſe cibus; hinc etiam radix cruda dicitur eſculenta eſſe, ideo in Aegypto toti agri hac planta ſunt conſiti. Tenella folia & caules forma acetarii comeduntur.

ARUM ESCULENTUM.

ARUM eſculentum L. *eſsbare Aronswurz.*

VIS NOXIA. Arum hoc crudum acerrimum, corroſivum & lethale eſt.

VIRTUS MEDICATA. Hoc arum in Africa & Ame-

merica editur coctum in duplici aqua vel aſſatum.

ARUM VIRGINICUM.

Arum virginicum L. *Virginiſche Aronswurz.*

Vis noxia præcedentis.

Virtus medicata. Radix, quæ quandoque craſſitiem hominis adulti obtinet, ab Americanis vel aſſata vel cocta editur, ſaporem ſolani tuberoſi vel convolvuli Batatas referre dicitur cocta. *

ARUM ARBORESCENS.

Arum arboreſcens L. *Aronsbaum.*

Vis noxia. Tota planta ſucco acerrimo turget. Caules cocti tamen pro olere eduntur ab Americanis.

ARUM SEGUINUM.

Arum ſeguinum L. *Aronswurzel mit Blumen ohne Blätter.*

Vis noxia. Succo turget acerrimo, qui ſola lingua guſtatus aphoniam inducere dicitur.

---

* *Cel.* Kalms *Reiſe nach dem nördlichen Amerika. Göttingen* II Theil p. 273. & 426. III Th. 1764. p. 67.

CALLA PALUSTRIS.

CALLA paluſtris L. *Sumpf-Calla.*

ODOR radicis recentis debilis, ſubaphrodiſiacus. SAPOR acris; maſticata primum inſipida dein pungens, qui ſenſus punctorius ſenſim increſcit etiam abjecta radice & poſt vehemens fit, manifeſtans ſe in toto ore cum affluente ſaliva copioſa & tenaci moleſtiſſimus, inhærens, durans, labiis ipſis palleſcentibus, exſanguibus quaſi, obſtupeſcentibus & velut aqua fervida aduſtis, tandem ſponte evaneſcunt hæ ſequelæ. *

VIS NOXIA. Radix ſaporem habet urentem fere cauſticum ignis adinſtar, attamen, quod mirum eſt, ex ea panem conficere norunt Weſtrobothinenſes, Oſtrobothinenſes & Novaculæ lapponiæ. **

EUPHORBIA OFFICINARUM.

EUPHORBIA officinarum L. *gemeines Euphorbium. Gummi Euphorbii.*

ODOR gummi debilis. SAPOR primum nullus, deinde valde punctorius, calidus, nauſeoſus,

---

* *Ill.* BERGIUS m. m. p. 724.

** *Cel.* KALM l. c. III Th. p. 68. & LINNÉ *flora lapponica* n. 320.

inhærens. *Maſticata* hæc gummi-reſia inter dentes friabilis, ſolvitur in ore, linguam & fauces pungit uti mille acus, fere ut radix ari, ſed fervida ſimul ſentitur & diutiſſime inhæret, quamvis fauces aqua frigida ſæpius eluantur.

VIS NOXIA. Interne data vi ſua cauſtica inflammationem oris, ventriculi, inteſtinorum, emeto-catharſim, dyſenteriam dolentiſſimam altero die lethalem, convulſiones periodicas cum graviſſimis doloribus, ſitim, ſingultum, animi deliquia, ſudorem frigidum, mortem inducit.

Euphorbium *externe* cuti applicatum ruborem inflammatorium, veſicas, eroſionem partium mollium & ipſorum oſſium.

Naribus forma pulveris attractum vehementiſſimam ſternutationem, ingentem capitis, faciei & oris intumeſcentiam inflammatoriam cum dyſuria cauſat.

ANTIDOTA. Obvolventia oleoſa, mucilaginoſa, lac, antacria.

VIRTUS MEDICATA. Ob vim ſumme cauſticam & inflammantem nunquam interne tuto datur. Nec vis ſternutatoria tuto adhibetur. *Tinctura* in carie oſſium, & decoctum in ſcabie equorum laudatur.

EUPHOR-

EUPHORBIA ANTIQUORUM.

Euphorbia antiquorum L. ſeu *Tithymalus*, *wahre Euphorbie.*

Vis noxia. Omnes Euphorbiæ ſeu Tithymali in eo conveniunt, ut ſint valde acres, cauſticæ hinc interne propinatæ volentiſſime ſurſum & deorſum purgant, atque inteſtina inflammant.

EUPHORBIA CANARIENSIS.

Euphorbia canarienſis L. *canariſches Euphorbium.*

Vis noxia præcedentis.

EUPHORBIA TIRUCALLI.

Euphorbia Tirucalli L. *oſtindiſches Euphorbium.*

Vis noxia præcedentis.

EUPHORBIA PEPLUS.

Euphorbia Peplus L. *runde Wolfsmilch.*

Vis noxia præcedentis.

EUPHORBIA LATHYRIS.

Euphorbia Lathyris L. *Springkörner. Catapútia minor.*

Odor nullus. Sapor vix ullus. *Maſticati* ſe-

minum nuclei teneri ſunt, poſtea acres, linguam & fauces rodunt, diu inhærent.

Vis noxia draſtice purgans.

EUPHORBIA HELIOSCOPIA.

Euphorbia helioſcopia L. *Sonnenwolfsmilch.*

Odor debilis, herbaceus. Sapor acris. Tota planta lacteſcens, lacte albo e corticali parte plantæ promanante.

Vis noxia rubefaciens, draſtice purgans. Capræ & vaccæ hac planta abſque ulla noxa præter ventris fluxum veſcuntur. At caro illorum peſſimi & nauſeoſi ſaporis evadit.

Virtus medicata in tinea & verrucis lac illinitur.

EUPHORBIA VERRUCOSA.

Euphorbia verrucoſa L. *warzigte Wolfsmilch.*

Vis noxia præcedentis.

EUPHORBIA PLATYPHYLLOS.

Euphorbia platyphyllos L. *breitblätterichte Wolfsmilch.*

Vis noxia præcedentis.

EUPHORBIA ESULA.

Euphorbia Eſula L. *kleine Wolfsmilch.*
Vis noxia præcedentis.

EUPHORBIA CYPARISSIAS.

Euphorbia Cypariſſias L. *Cypreſſenwolfsmilch.*
Vis noxia præcedentis.

EUPHORBIA PALLUSTRIS.

Euphorbia pålluſtris L. *Sumpfwolfsmilch.*
Vis noxia præcedentis.

EUPHORBIA HIBERNA.

Euphorbia hiberna L. *Irrländiſche Wolfsmilch.*
Vis noxia præcedentis.

EUPHORBIA CHARACIAS.

Euphorbia Characias L. *franzöſiſche Wolfsmilch.*
Vis noxia præcedentis.

EUPHORBIA AMYGDALOIDES.

Euphorbia amygdaloides L. *kleine Wolfsmilch mit Mandelblättern.*
Vis noxia præcedentis.

EUPHORBIA SYLVATICA.

Euphorbia ſylvatica L. *Waldwolfsmilch.*

Vis noxia præcedentis.

EUPHORBIA EXIGUA ACUTA.

Euphorbia exigua acuta L. *kleine Steinwolfsmilch.*

Vis noxia præcedentis.

EUPHORBIA MAURITANICA.

Euphorbia mauritanica L. *Mauritaniſche Wolfsmilch.*

Vis noxia præcedentis.

EUPHORBIA NERIFOLIA.

Euphorbia nerifolia L. *Wolfsmilch mit Oleander Blättern.*

Vis noxia præcedentis.

RANUNCULUS ACRIS seu PRATENSIS.

Ranunculus acris L. *brennender Hahnenfuſs. Schmalzblümlein.*

Vis noxia. Acris eſt tota planta, at germina florum urentius feriunt linguam, pertinaciorem dolorem & citius ſe manifeſtantem inducunt. Applicatio *externa* intolerabilem, urentiſſimum dolorem, & profunda ulcera, ſi diu

ſuper cute relinquatur, atque animi deliquia cauſat. Copioſe in paſcuis creſcens epidemiæ pecudum ſæpe ſæpius eſt cauſa. In articulis, quibus applicabatur, immobilitatem genuit.

Antidota. Augent acrimoniam acetum, mel, ſaccharum; vinum ejusque ſpiritus, acida mineralia, oleum tartari per deliquium, aliaque ſapida. Nec minuit eandem vinum dulce, caſtoreum, Meliſſa vel Meliſſophyllum. Inter plantas ſeptingentas exploratas unice folia *acetoſæ* manducata vel contuſa acrimoniam enervant, incaſſum vero ſuccus ejusdem tentabatur. Proxime vi acetoſæ accedunt *baccæ immaturæ ribium rubrorum*. *Aqua* vero frigida omnibus antidotis antecellit in veneno ranunculorum mitigando. * Ulcera pertinacia a ranunculis excitata *balſamus peruvianus* optime curat.

Virtus medicata. Medici antiqui cantharidum loco ranunculos applicabant. Folia ranunculi in mortario ligneo vel marmoreo contuſa & multo ſucco madentia per emplaſtrum denarii amplitudinis foramine perforatum applicantur, ſuperimpoſito emplaſtro non perforato, & duarum horarum ſpatio totus apparatus reliquitur, tandem aufertur, in tenero & depilato loco cutis aperitur, in capitis

* *Cel.* Krapp l. c. p. 101.

parte capillata mora trium vel quatuor horarum relinqui poteſt. Hoc epiſpaſticum in hemicrania atroci, medio loco dolenti impoſitum; in malo iſchiadico, in podagra, in inveteratis articulorum doloribus quandoque profuit. * Demum forma epicarpii in intermittentibus laudatur.

Sed hæc epicarpia nimis diu relicta profunda & peſſima ulcera excitant, aut febrem intempeſtive fugant, unde hydrops & alia mala ſæpe ſequuntur. Puer octennis tali epicarpio a febre liberatus mox in aſcitem cum hydrocele incidit, & ulcus ſibi contraxit ligamentum annulare & tendines flexorum digitorum afficiens.

RANUNCULUS SCELERATUS.

Ranunculus ſceleratus L. *Gifthahnenfuſs.* ** *Ranunculus paluſtris.*

Odor. Planta recens in mortario contuſa, ſpiritum inodorum ſpargit, acrem, nares oculoſque ferientem, qui mucum e naribus & lacrumas ex oculis prolicit. Sapor. Succus expreſ-

---

* *Ill.* Murray l. c. *vol.* III. p. 79.

** *Cel.* Krapf *experimenta de Ranunculorum nonnullorum venenata qualitate, horumque externo & interno uſu.* Vindob. 1766.

ſus apici linguæ in pauciſſima tantum quantitate applicatus excitat dolorem urentem.

Vis noxia. Folioli recentis medietas vel & floſculus unus parum percontuſus a prandio lauto deglutitus, mox in diverſis abdominis partibus produxit dolores ingratiſſimos cum levibus animi deliquiis & internarum abdominis partium agitationibus quaſi convulſivis, diu perſeverantibus. Eosdem effectus edidere duæ guttulæ ſucci expreſſi foliorum.

Canis poſt deglutitum ſuccum reddebatur anxius, vomebat, ſe agitabat, ejulabat; oblata dein aqua & magna licet quantitate potata nihil melius habuit. Vomitus, contorſiones & inquietudo ingens per noctem perſtitere. Cadaver canis ſclopeto occiſi exhibuit ventriculum contractum, in variis locis inflammatum, ruberrimum, in interna ſuperficie eroſum: Pylorus tumidus, rubro-liveſcens, arctatus ita fuit, ut vix pervius permaneret.

Vis noxia externa. Mendici aſtuti nundinas petentes ranunculo exulcerant pedes, ut miſerationem in ſe convertant. * Applicatio externa in Centurione ad os uſque cum immanibus doloribus penetrans ſævum ulcus per plures menſes reliquit. Auriga inde inter paucas horas immenſam veſicam per totum bra-

* *Ill.* Linnæi *Flor. Suec.* n. 499.

chium cum febre, delirio, phrenitide, rabiei ſpecie, imo gangrænam ſibi contraxit. *

Antidota. Hauſtus aquæ frigidæ. Acetoſæ folia, baccæ ribeſiorum rubrorum immaturorum, minus tamen quam acetoſa folia, atque balſamus peruvianus, acrimoniam mitigant. Coctura longior adeo domat acritatem, ut oleris inſtar a paſtoribus Murlachiæ cum debito condimento ranunculus hicce comedi ſoleat. Ulcera a ranunculo excitata balſamo peruviano curantur.

Virtus medicata. Succi Drachma dimidia cum unciis ſex aquæ fontanæ diluta tuto deglutitur. Hæc forma vel in decocto ſine noxa tentari poterit in morbis, qui ſolvente, ſtimulante & diuretica medicina opus habent. In tuſſi ab acri ſtimulo, ab excoriatione vel catarrho incipiente profuit, in ſene decrepito ſic dyſuriam ſanavit, ulcera pulmonum depuravit, venerem effœtam reſtituit. **

Plantæ herba & flores, ad manipulos duos per bihorium decocti innocuum cibum præprimis in annonæ difficultate præbet. Demum incipiente catarrho & tuſſi ab acri vel eroſione ut remedium leniens laudatur. *Succus expreſſus* cum centupla aquæ vel frigidæ vel

---

* *Ill.* Tissot *epiſt. med. pr.* 317.

** *Cel.* Krapp l. c. p. 22 & p. 103.

tepidæ debilitatus tuto ut remedium ſolvens & penetrans in morbis cutaneis comendatur.

RANUNCULUS FLAMULA.

RANUNCULUS Flamula L. *kleiner Sumpfhahnenfuſs.*

VIS NOXIA. Scelerato haud inferior eſt acrimonia cauſtica. Externe applicata planta veſicatorii vices agit. Mendicantes ſibi crura & lacertos hac ipſa planta dilaniant, quo poſſunt impudentius ſtipem a transeuntibus aucupari. Quam fraudem veſiculæ parvæ circa ulcera præſentes forte detegunt. Matrona quædam, ut tolleret obſtinatam febrem, prope carpum ſiniſtro antibrachio Flammulam impoſuit. Quum per nychthemerum integrum effectu deſtitueretur, ei adhuc per dimidium diem moram conceſſit, ſed die poſt locus applicationis albus, inſenſibilis, durus exſtitit, doluitque intenſe brachium & locus dictus poſtea in ſphacelum tranſiit, ita ut tendines muſculorum & ipſum os in conſpectum prodirent, antiſeptis tamen ſanitas priſtina reſtituebatur. *

Interne aſſumpta planta eosdem triſtes facit effectus ac de ſcelerato dixi. Animalia hanc plantam non attingunt, quamdiu in ſtatu ſano verſantur aut non ingenti compellan-

* *Ill.* MURRAY *app. med. vol.* III. p. 87.

tur fame, ovibus comeſta phthiſim purulentam, equis vero morbum hepatis hydatidoſum procreant.

Antidota præcedentis. Siccata planta viribus cauſticis orba eſt & pecudibus impune in pabulum cedit.

Virtus medicata. Antiquis jam ad exſtirpandos pedum clavos & verrucas in auxilium vocata eſt, item tumoribus induratis diſcutiendis applicabatur. Imponi ſolet carpis appropinquante paroxyſmo febris intermittentis.

RANUNCULUS BULBOSUS.

Ranunculus bulboſus L. *Rübenhahnenfuſs.*

Vis noxia. Hæc ſpecies ranunculo ſcelerato acrior eſt & eadem ſymptomata creat, ſed majori longe gradu.

Antidota ranunculi ſcelerati.

Virtus medicata. Bulbi virides ſub ſabulo per integram hiemem recentes ſervari poſſunt pro ſcopo veſicante. Taleolus ejus digito interius applicatus jam poſt duo minuta prima uſtionis ſenſum cauſat, ſenſim veſica generatur ſero plena, quam excipit ulcus dolens, tardius pus concipiens & tardius conſolidandum.

RANUNCULUS FICARIA.

Ranunculus Ficaria L. *Scharbockskraut*,

klein Schölkraut, *Schmalzſternblume. Chelidonium minus.*

Odor herbæ recentis contuſæ debilis naſturcinus. Sapor acriuſculus, fauces irritans. Inter ranunculos hæc ſpecies minus acris, forte quia planta vernalis eſt. Radix recens, ſi ante floreſcentiæ tempus effodiatur, acris eſt ita, ut fortiter linguam vellicet & ſimul ingrato ſtyptico, primum acido, dein amareſcente nauſeoſo ſapore prædita.

Vis noxia. Recens contuſa cuti applicata veſicantis vices agit, ſi diutius ſuper cutim relinquatur.

Virtus medicata. Folia verno tempore lecta in Uplandia inter olera coquuntur. Coctione enim miteſcit ſapor acriuſculus. Decoctum ad hæmorrhoides & ſcorbutum curandum laudatur. Alii ſuccum expreſſum cum axungia coctum unguenti forma externe ad hæmorrhoides applicant.

RANUNCULUS THORA.

RANUNCULUS Thora L. *ſchweizeriſcher Hahnenfuſs*.

Odor nullus. Radix *maſticata* fere inſipida: at folia linguæ igneum imprimunt ſaporem.

Vis noxia. Hæc planta excepta radice, ſcelerato non mitior eſt. Folia tamen maximam

acrimoniæ partem amittunt, dum ſemina maturescere incipiunt, ac totius plantæ evaneſcit acredo, ſi exſiccatur, aut coquitur. Externe applicata vel interne ſumpta eosdem edit præter invincibilem pigritiem effectus, quos de ranunculo ſcelerato memoravi. Populi antiqui ſucco hujus ranunculi tela imbuiſſe dicuntur, quo poſſint magis lethale vulnus infligere.

Antidota præcedentis.

RANUNCULUS ARVENSIS.

Ranunculus arvenſis L. *Ackerhahnenfuſs.*

Vis noxia. Quamvis radix & ſemina nocivos in humano corpore non edant effectus; foliis tamen eadem acrimonia ineſt ac bulboſo, qui in germinibus florum urentior adhuc.

Antidota. Drachma ſemis ſucci miſta ℥iij aquæ ita mitis ſit, ut in ore detineri & tolerari acritas queat. Unciæ vero octo aquæ totam acrimoniam adeo delent, ut impune ægris abſque noxa fuerint ingeſta. Imo functionum animalium major obſervabatur agilitas. *

RANUNCULUS LINGUA.

Ranunculus Lingua L. *groſſer Sumpfhahnenfuſs.*

---

* *Cel.* Karpf. l. c.

VIRTUS NOXIA prioris. Vis cauſtica in foliis præprimis & ſeminibus ſita.

RANUNCULUS ALPESTRIS.

RANUNCULUS alpeſtris L. *Alpenhahnenfuſs. Jägerkraut.*

VIS NOXIA. Planta acerrima & veſicans. Aqua deſtillata draſtice purgat.

ANTIDOTA eadem; nempe aqua, acetoſæ folia, baccæ ribium ruborem immaturæ.

VIRTUS MEDICATA. Venatores in alpibus hunc ranunculum contra vertiginem maſticare ſolent.

RANUNCULUS POLYANTHEMOS.

RANUNCULUS polyanthemos L. *blumenreicher Hahnenfuſs.*

VIS NOXIA acris, veſicans.

ANTIDOTA eadem.

VIRTUS MEDICATA quondam vices veſicatorii gerebat. *

RANUNCULUS ILLYRICUS.

RANUNCULUS Illyricus L. *Illyriſcher Hahnenfuſs.*

VIS NOXIA congruit cum ranunculo bulboſo.

---

* *Cel.* BAUHIN *hiſtor. plant.* III Th. 416.

RANUNCULUS GRAMINEUS.

Ranunculus gramineus L. *grasartiger Hahnenfuſs.*

Vis noxia. Radix, præſertim vero flos valde acris.

RANUNCULUS ASIATICUS.

Ranunculus aſiaticus L. *Ranunkel. Gartenranunkel.*

Vis noxia. Foliorum ſapor nauſeoſus & acris. Obſervata practica de illorum indole venenata non proſtant.

RANUNCULUS AQUATILIS.

Ranunculus aquatilis, L. *Waſſerhahnenfuſs.*

Vis noxia. Acrimonia hujus plantæ ut etiam præcedentis ſpeciei differt pro diverſitate ſoli, ubi creſcit. Herba antequam flores prodierunt, longe magis vero ipſi flores cuti applicati veſicas attolunt.

Antidota præcedentium.

Virtus medicata. Hæc planta ad uſus medicos needum adhibita fuit.

RANUNCULUS PLATANIFOLIUS.

Ranunculus platanifolius L. *Ahornblätterichter Hahnenfuſs.*

Vis noxia. Foliorum acritas minor eſt, quam in reliquis huc uſque recenſitis ranunculorum ſpeciebus. *.

RANUNCULUS BREYNIUS.

Ranunculus Breynius L. *Breyniſcher Hahnenfuſs.*

Vis noxia. Flores acritate urente pollent majore quam ranunculus ſceleratus & bulboſus. At horticultura multum hanc acrimoniam mitigat.

RANUNCULUS SARDOUS.

Ranunculus Sardous L. *Eppichblätterichter Hahnenfuſs. Apium riſus.*

Vis noxia piſtilla florum linguæ ardorem dolentiſſimum & cuti per 12 horas applicata veſicam inducunt. Uſus internus riſum ſardonium & mortem cauſare dicitur. Reliquæ plantæ partes mites ſunt.

Ranunculus *auricomus*, *repens*, *lanuginoſus* & *pyreneus* acrimonia cauſtica carent.

RAPHANUS RAPHANISTRUM.

Raphanus Raphaniſtrum L. *Ackerrettig, Ackerkal, Hederich.*

* Bauhin l. c. III. p. 859.

ODOR debilis naſturcinus. SAPOR ſimilis.

VIS NOXIA. Semina hujus plantæ cum farina hordeacea in panem cocta, in quibusdam Sueciæ regionibus morbum funeſtum convulſioni cereali ſimillimum, *raphania* nuncupatum, produxiſſe dicuntur. * At recentiora experimenta docuere talem panem nec animalibus, nec infantibus nec adultis hominibus in cibum adhibitum attuliſſe ullum damnum. **

VIRTUS MEDICATA. Herba forma acetarii vel oleris in ſuecia adhibetur. ***

SECALE CORNUTUM.

SECALE cornutum ſeu *corniculatum*. *Mutterkorn*, *Kornzapfen*. *Clavus ſecalinus*. *Ergot*. *Seigle ergotè*.

Eſt SECALIS *cerealis* L. morboſa excreſcentia, qua ſpicæ ſecalinæ evadunt nigræ, incurvatæ, ut gallinarum galli, longiores, atque parenchyma continent liveſcens, ſubfarinoſum, rancidum, combuſtibile.

ODOR ſeminum ſub pulveriſatione aſſurgens nares titilat tabaci adinſtar. SAPOR farinoſus, dein

* *Ill.* LINNE *amœnitas academica T.* VI. *p.* 430.

** *Schwediſche Abhandl.* 33 *Band* p. 30. Hinc Linnæi Raphania ab alia cauſa quam a raphaniſtri ſemine originem habuiſſe opinor.

*** *l. c. p.* 29.

ranci-

rancidus, nauſeoſus, mordax, ſiccitatem ardentem ori & faucibus imprimens, diuque adhærens, nec aqua pura nec aqua calcis nec aceto delenda, ſolo lacte mitiganda. Aqua ſtillatitia deguſtata ardorem & ſiccitatem in ore relinquit.

Eſt vero ſecale cornutum *venenatum* a ſecali *luxuriante* ſeu cornuto *ſano*, quod parenchyma farinaceum ſanum recondit & venenatum non eſt, bene diſtinguendum. Innocui clavi ſecalini *foraminulo* carent, quo foraminulo ab inſectis forſan inflicto clavi infecti notantur. Semina infecta terræ commiſſa *non germinant*. *Culmus infectus* minor manet & citius ſtramineſcit quam culmi ſani.

Cauſa diſponens ad cornutionem ſecalis videtur anni tempus humidum cum ſubſequenti ſolis vehementiori ardore eſſe.

Cauſa intoxicans clavos ſeu cornicula ſecalina, videtur inſectum eſſe, quod amylum conſumit & gluten remanens in ſemine veneno inficit, inde foraminulum in clavis infectis. Non videtur ſeminum corruptio a rore venenato fieri, cum nunquam omnia ſemina ſed ſolummodo quædam in uno eodemque culmo infecta deprehendantur. Hinc hypotheſis, quæ ab inſecto quodam hoc venenum ſeminibus inferri opinatur, non improbabilis.

O

Vis noxia. Panis e ſecali corrupto confectus nec bene fermentat, nec bene coqui ſe ſinit, ſed glutinoſus & nauſeoſus manet. Farina ſecalis corrupti vulneri inſperſus ſanguinem ſpiſſat, initio ardorem, dein ſtuporem in vulnere & digitis cauſat. Panis talis ventriculo ingeſtus ebrietatem, laſſitudinem, ſtuporem artuum & cutis ſenſum formicationis, tandem articulorum contractionem ſpaſticam cum agitatione convulſiva & dolore vehementiſſimo periodice recurrente, cauſat, hicce morbus *Raphania* dicitur. Horum quidam ſimul evadunt orthopnoeici, maniaci, epileptici, catarractoſi, tabidi, multi laborant ſimul ſiti, bulimia, exanthematibus purpureis, ulceribus cutaneis. Durat morbus a 10 diebus ad 3 menſes & ultra. Multi poſt integrum annum menſe Januario & Februario recidivam patiuntur. * Aliis prægreſſa formicatione, dolore & ſtupore pedes ad tibiam; manus ad brachia uſque ita exſiccantur & nigreſcunt ac ſi fumo eſſent induratæ, partes mortuæ, ſiccæ, indolentes, corrugatæ deprehenduntur. Hoc ſymptoma *Necroſis cerealis* audit. Necroſis demum ſiſtitur in tarſo, tibia, genu &c.

* *Cel.* Taube *Geſchichte der Kriebelkrankheit. Götting.* p. 97. qui optimus de raphania author eſt.

& tunc linea humida, putridi artus integri aut partes mortuæ per fruſta a vivis ſine hæmorrhagia ſegregantur, aliquamdiu ligamentis, tendinibusque nondum diſſolutis adhærentes. Sanguis eſt niger, viſcidus & veluti ſiccus & caro eſt carbonis inſtar nigra, indurata, tenax.

Videtur ſecale cornuta in *climate frigidiori* raphaniam *ſpasmodicam*, in *calidiori* raphaniam *necroticam* producere.

ANTIDOTA. Panis, cujus pars decima nona ſecale corruptum fuit hominibus & ſecale corruptum cum lacte cani datum non nocuit. Ergo lac antidotum eſt. *

MEDELA raphaniæ cerealis exigit, ut *vomitoriis* reiteratis ** ventriculus a ſaburra glu-

---

* *Ill.* TISSOT *von Nervenkrankh.* 4 *B.* p. 236. *Cel.* POLUCHE dicit. non ſolum animalia, quibus experimenti cauſa ſecale cornutum dabatur, ſed etiam ruſticos, qui panem ex hoc ſecali manducabant, diæta lactea reſtituebat. *Journal Encyclopédique* 1772. T. II. *Fevrier.* p. 122. Infantes a matre raphania laborante lactati, morbo non inficiebantur.

** Nempe ex 10 granis tartari emetici in lib. aquæ ſolutis, difficulter enim tales ægroti ob irritabilitatem ventriculi quaſi deletam vomunt, & actio tartari emetici per alvum nihil juvat.

tinoſa evacuetur, dein inteſtina ope ſalis amari ad ℥ ij dati depurentur. Verminoſis ſimul mane ac veſperi 10 grana mercurii dulcis per aliquot dies exhibeantur. Tandem ſudor promoveatur ope aceti camphorati cum radice ari & oleo animali DUPPELLII, vel ope ſalis cornu cervi & laudani liq. * cochleatim ingeſti. Spaſmus pertinax crurum *veſicatoria* ad ea exigit, in orthopnoea dorſo, in ſtrangulatione colli nuchæ applicentur.

Venæſectio, niſi plethora valde urgeat, ſemper in hoc morbo noxia fuit. Stupiditas & dolor topicus fixus *hirudinibus* vel *ſcarificatione* optime tolluntur. Frictiones & extenſiones membrorum ſpaſmum & formicationem ſublevant, præſertim vero balnea calida, electriſatio, & *linimentum* ex butyro, ſpiritu vini & camphora.

Medela necroſeos exigit, ut evacuatis primis viis, membra ſtupore affecta illico *oleo terebinthinæ* ſæpius laventur, quo remedio ſæpe necroſis impeditur. ** Si ſola cutis exulce-

* *Schwed. Abhandl.* 33 Band p. 161.

** *Cel.* TAUBE l. c. p. 152.

rata ſecedit, atque ulcus gangrænescens relinquit, *unguentum ſaturninum* opem tulit. * Cortex peruvianus externe & interne cum lacte datus in ipſa gangræna ſicca profuit. ** Cortex peruvianus in aqua calcis coctus addito ſale ammoniaco fomentum ſiſtit egregium, quo altero vel tertio die ſphacelus ſiccus ſiſtitur. *** Alii in hac gangræna laudant *fomentum* ex aluminis calcinati ℥ IV. vitrioli romani & ſalis culinaris āā ℥ iij in ℔ iij ad remanentiam ℔ iß coctis. Hoc brevi format cruſtam, qua decidua ſequens *unguentum* applicetur. ℞. Olei olivarum ℔ iij vini boni menſura ſemis, terebinthinæ crudæ ℔ j ceræ flavæ ℔ ß, ligni ſantali rubri ℥ ij *) Amputatio in parte ſana ex 20 necroticis ægrotis vix unum ſervavit. **)

* *Idem* p. 153.

** *Idem* p. 197.

*** *Idem* p. 219.

*) *Sammlung der Aufſätze und Beobacht. aus den Schriften, der mediciniſch. Geſellſchaft zu Paris* p. 403.

**) *Idem l. c.* p. 402.

USTILAGO FRUMENTI.

Ustilago Frumenti, *der Kornbrand*, Eſt degeneratio ſubſtantiæ farinaceæ ſeminum in maſſam nigram vel fuſcam pulverulento-glutinoſam, inſtar halecis infumati fœtentem: Reliquæ plantæ partes ſanæ permanent, ſemina infecta exterius rotundiora & craſſiora videntur.

Hæc degeneratio rariſſime aggreditur ſecale ſed utplurimum hordeum, triticum, avenam, ſpeltam & frumentum turcicum.

Vis noxia. Exigua quantitas frumenti uſtilaginei non cenſeatur noxia. * Major vero doſis certo nocet.

Panis inde confectus non bene fermentat nec ſufficienter coqui ſe ſinit, manet glutinoſus, gravis, nigricans & inaſſuetis nauſeoſus. Morbos chronicos abdominis & cutis inducens. Semina uſtilaginea a viro quodam deglutita dolores artuum cauſabant, qui non niſi ſuborta diarrhæa ceſſabant. **

---

* *Cel.* Camerer *de uſtilagine framenti. Tubing.* 1709.

** *Ill.* Tissot *Abh. von den Nerven krankh.* *Editio* Weberi 4 B. p. 204.

Antidota. Vomitoria, purgantia, ſolventia.

CARIES FRUMENTI.

Caries frumenti ſeu *Carbunculus frumenti, der ſchwarze Mehlthau.* Eſt glutinoſo-pulverulenta nigredo, quæ non ſolum ſemina ut uſtilago ſed etiam omnes reliquas culmorum cerealium partes corrumpit.

Odor & Sapor hujus pulveris vix perceptibiles ſunt.

Vis noxia præcedentis.

RUBIGO FRUMENTI.

Rubigo frumenti, der Kornroſt. Eſt glutinoſa fuſco-rubens pulverulenta ſubſtantiá, quæ culmis & glumis graminum frumentaceorum adhærens farinam ſeminum adeo corrumpit, ut nuclei vix farinam contineant.

Vis noxia præcedentis.

VENENA GLUTINOSA.

Venena, quæ glutine ſuo ventriculum infarciunt, obturant.

VISCUM AUCUPARIUM.

ILEX Aquifolium L. *Vogelleim.* Eſt maſſa reſinoſa tenaciſſima, plaſtica; valde adhærens.

ODOR viſci eſt terebinthinatus, SAPOR conſimilis.

VIS NOXIA. Viſcus hoc maſticatum labiis adglutinatur, in ore non ſolvitur, nec ullo modo cum ſaliva miſcetur. Hinc ſi quis hoc viſcus majori copia deglutiret, ſenſatio ponderis, cardialgia & alia ſymptomata exſpectanda forent.

ANTIDOTA. Optimum eſſet vomitorium. Solvitur hoc gluten in oleis expreſſis & ſtillatitiis, minime vero in aqua ſimplici.

VIRTUS MEDICATA non nota.

BACCÆ VISCI QUERNI.

VISCUM album L. *Eichenmiſtelbeere.*

VIS NOXIA. Baccæ ſucco viſcoſo turgidæ ventriculo ingeſtæ viſci aucuparii adinſtar agerent.

ANTIDOTA. Vomitorium.

VIS MEDICATA non nota.

SPONGIA MARINA.

SPONGIA officinalis L. *Badeſchwamm.* Eſt domicilium zoophyti vel polypi celluloſum, in mari mediteraneo copioſe obvium.

Sapor & Odor nullus.

Vis noxia. Ventriculo fruſtutatim ingeſta ſpongia turgeſcendo, putreſcendo & pylorum obſtruendo nocet. Puellam 14 annorum a ſua matre ſeverius tractata in eum melancholiæ gradum incidit, ut intra biduum integrum manipulum ſpongiæ vulgaris in minuta fruſta diſcerptam ſenſim deglutiret. Intumuit ventriculus, inanes vomendi experiebatur conatus, omnem faſtidiebat cibum, anxia & ſubdelirosa fuit; dedi ilico vomitorium & evomuit gluten putridum una cum integris fruſtis ſpongioſis ac convaluit.

Antidota. Vomitorium.

Vis medicata. Spongia uſta contra ſtrumas laudatur ſæpius de die cochleare parvum in ore diu volvitur, & dein deglutitur, quod efficacius eſt quam ſi ſtatim deglutiatur. Spongia præparata pro dilatandis fiſtulis, coercenda hæmorrhogia & nimia ſuppuratione vulnerum, demum pro retinendo prolapſu vaginæ & uteri inſervit. V. *Pharmacologiam chirurgicam.*

FUNGUS CYNOSBATOS.

Eſt ſpongia in *ROSA canina* L. ab inſecto formata. *Hagebuttenſchwamm*.

Odor nullus; Sapor adſtringens.

Vis noxia præcedentis.

Antidota eadem.

VENE-

VENENA
EX
REGNO MINERALI.

ELENCHUS
VENENORUM EX REGNO MINERALI.

De venenis mineralibus generatim.

VENENA MECHANICA.

Vitrum contuſum, *Glaſs.*
Smalta, *Schmalte.*
Adamas, *Diamant.*
Alumen plumoſum, *Federweiſs.*
Lapis lazuli, *Laſurſtein.*
Fuligo camini anglicana, *engliſcher Caminruſs.*

VENENA TERREA.

Gypſum, *Gips.*
Glacies Mariæ, *Marienglaſs.*
Cryſtallus montana, *Bergkryſtall.*

VENENA ACIDA.

Acidum vitrioli concentratum, *Vitriolſaure.*
——— ſalis concentratum, *Salzſaure.*
——— nitri concentratum, *Salpeterſaure.*
Aqua fortis, *Scheidewaſſer.*
—— regia, *Königswaſſer.*

Vitriolum album, *weiſſer Vitriol.*
——— cœruleum, *blauer Vitriol.*
——— viride tabernarum, *Grüner Vitriol.*
——— vulgare Goslarienſe, *gemeiner Goslariſcher Vitriol.*

VENENA ALCALINA CAUSTICA.

Sal alcalinus vegetabilis cauſticus, *kauſtiſches Pflanzenlaugenſalz.*
— — mineralis cauſticus, *kauſtiſches Minerallaugenſalz.*
— — volatilis cauſticus, *flüchtiges kauſtiſches Laugenſalz.*

Lapis cauſticus, *Aezſtein.*

Lixivium cauſticum ſaponariorum, *äzende Seifenſieder Lauge.*

Calx viva, *ungelöſchter Kalk.*

VENENA METALLICA.

Auri præparata.
Aurum monetarium, *Münzgold.*
Aurum fulminans, *Knallgold.*

Argenti præparata.
Argentum monetarium, *Münzſilber.*
Lapis infernalis, *Höllenſtein.*
Argentum hydragogum Boylei, *Boyles Silberarzney.*

Bismuthi præparata.
Magiſterium bismuthi, *Wismuthweiſs.*

Cuprum, ejusque præparata.

Cibus cupratus, *Kupferhaltige Speiſe.*

Aqua cuprata, *kupferhaltiges Waſſer.*

Vinum cupratum, *kupferhaltiger Wein.*

Spiritus vini cupratus, *kupferhaltiger Weingeiſt.*

Medicamenta cuprata, *kupferhaltige Arzneyen.*

Plumbum, ejusque præparata.

Cibus plumbatus, *bleyhaltige Speiſs.*

Aqua plumbata, *bleyhaltiges Waſſer.*

Vinum plumbatum, *bleyhaltiger Wein.*

Medicamenta ſaturnina, *bleyhaltige Arzneyen.*

Stanni præparata.

Stannum plumbatum, *bleyhaltiges Zinn.*

Mercurius, ejusque præparata.

Mercuris vivus. *Lebendiges Queckſilber.*

—— ſublimatus corroſivus, *aezender Sublimat.*

—— dulcis, *verſüſstes Queckſilber.*

—— præcipitatus ruber, *rother Queckſilber Präcipitat.*

—— albus, *weiſſer Queckſilber Präcipitat.*

Turpethum minerale, *mineraliſcher Turbith.*

Antimonii præparata.

Regulus antimonii, *Spieſsglaskönig.*

Flores antimonii, *Spieſsglasblumen.*

Butyrum antimonii, *Spieſsglasbutter.*

Mercurius vitæ, *Algarothiſches Pulver.*

Tartarus emeticus, *Brechweinſtein.*
Hepar antimonii, *Spieſsglasleber.*
Vitrum antimonii, *Glaſs des Spieſsglaſes.*
Crocus metallorum, *Metallſafran*, *Spieſsglas-ſafran.*
Sulphur auratum antimonii, *Spieſsglasgold-ſchwefel.*

Arſenicum, ejusque præparata
Arſenicum album, *weiſſer Arſenik.*
——— citrinum, *gelber Arſenik.*
——— rubrum, *rother Arſenik.*
Auripigmentum, *Operment*, *Goldgelb.*
Regulus arſenici, *Arſenik-König.*
Arſenicum poroſum, *Fliegenſtein.*
Cobaltum arſenicale, *Arſenik-Cobalt.*

DE

DE VENENIS MINERALIBUS GENERATIM.

Venena ex regno *minerali* petita frequenter admodum in perniciem hominum, ob parvam, qua necant & ingeri poſſunt molem, ab hominibus ſceleratis adhiberi ſolent.

Dividuntur in venena mechanica, terrea, acida, alcalina & metallica. Hæc iterum *ſubdividuntur* in cuprea, plumbata, mercurialia, antimonialia & arſenicalia.

Antidota venenorum mineralium in generalia & ſpecialia dividuntur.

Generalia ſunt

1. *Emetica*, ſi venenum adhuc in ventriculo vel purgans, ſi jam in inteſtinis hæret, atque gaſtritis aut enteritis abeſt.
2. *Involventia*, ut Oleum, lac, mucilago, pinguedo, pulmentum farinoſum, potio oleoſo-mucilaginea * ova mollia. Potus diluens copioſus.
3. *Antiſpasmodica*, ſi ſpasmi valde urgent.

Specialia Antidota. Præter generalia adhibeantur alcalina & terræ abſorbentes in venenis *acidis*. Acida diluta in venenis *alcalinis*. In venenis metallicis utplurimum ſola *generalia antidota* conveniunt.

* Ex mucilaginis gummi arabici parte una, olei expreſſi partibus duabus, & aquæ, vel lactis partibus octo.

VENENA MECHANICA.

Sic illa vocantur mineralia, quæ duris & acutis ſpiculis terreis in primas vias agunt.

VITRUM CONTUSUM.

VITRUM commune, *Glaſs*. Eſt corpus diaphanum ex terra ſilicea & alcali fixo productum.

Odor & Sapor nullus.

Vis noxia. In pulverem contuſum & ventriculo ingeſtum cardialgiam, colicam, ſpaſmos, vomitum cruentum, inflammationem ventriculi & mortem inferre valet. Vitrum contuſum ſaccharo admixtum muribus, ut pereant, exponitur.

Antidota. Oleum, butyrum, pinguedo vervecina, pulmentum farinaceum lacteum, deſuper ipecacuanha, ac dein purgans.

Virtus medicata. Ad leucoma corneæ defricendum.

SMALTA.

SMALTA. Schmalte. Eſt vitrum cæruleum ex cobalto calcinato, ſilice & alcali fixo vegetabili confectum.

ODOR & SAPOR nullus.

VIS NOXIA. Suis ſpiculis duris ac ſcindentibus ut vitrum contuſum agit.

ANTIDOTA hinc eadem.

VIRTUS MEDICATA nulla. Pictoribus, lotricibus, ac figulis pro coloratione inſervit.

ADAMAS.

GEMMA Adamas L. *Diamant.*

ODOR & SAPOR nullus.

VIS NOXIA. Integer deglutitus adamas nullum infert malum; at contuſus ventriculo ingeſtus acuminatis & rigidis ſuis ſuperficiebus, quas in pulverem etiam tenuiſſimum tritus, habere amat, cardialgiam, vomitum cruentum, inflammationem, gangrænam ventriculi, ſpaſmos & mortem cauſare valet.

HYACINTHUS, GRANATUS, SMARAGDUS, SAPHIRUS, CARNEOLUS & omnes reliquæ gemmæ in pulverem contuſæ, ut vitrum contuſum agunt & ventriculo ingeſtæ nocivos exerunt effectus.

Antidota eadem ac in vitro contuſo.

Virtus medicata nulla.

ALUMEN PLUMOSUM.

Amianthus plumoſus L. *Federweiſs. — Federalaun.*

Odor & Sapor nullus.

Vis noxia. Ventriculo ingeſtum alumen plumoſum ſua figura pungente iritat & rubefacit ventriculum. *Externe* cuti applicatum intolerabilem inducit cuti pruritum.

Antidota. Pinguia, oleoſa cum emetico. Venæſectio ſi gaſtritis jam adeſſet.

Virtus medicata. Ad revocandam ſcabiem retropreſſam linteaminibus qua iritans & rubefaciens cutis inſpergitur.

LAPIS LAZULI.

Cuprum Lapis lazuli L. *Laſurſtein.*

Odor & Sapor nullus.

Vis noxia. Cupro non ſcatet, ut vulgo putatur. Hinc ventriculo ingeſtus duritie mechanica nocere videtur. *Ultramarinum* e lapide lazuli paratum ejusdem indolis eſt.

Antidota ut in alumine plumoſo.

Virtus medicata nulla.

FULIGO CAMINI ANGLICANA.

FULIGO ſplendens Caminorum in Anglia. Engliſcher Ofenrus.

VIS NOXIA. Ulcus cancroſum ſcrotale, caminorum purgatoribus in Anglia familiare, ex fuligine ſcroti plicis adhæreſcente naſcens, labem inſanabilem in partes genitales, inque ipſa imi ventris viſcera transmittens inducit.

ANTIDOTUM. Exciſio loci cancroſi in ſcroto. *

VENENA TERREA.

Quæ terra tenui in primas vias agunt.

GYPSUM.

GYPSUM uſuale L. *Gips.* Eſt terra calcarea acido vitrioli imbuta.

ODOR & SAPOR nullus.

VIS NOXIA. Gypſum *crudum* & magis adhuc *uſtum* ventriculo ingeſtum cauſat gravitatem, cardialgiam, vomituritiones, pertinaciſſimam alvi obſtructionem & mortem. **

* *Cel.* POTT *Abhandl. über verſchiedene Gegenſtände der Wundarzneykunſt*, 2 *Theil.*

** Perfidia *Emanuelis*, Imperatoris Bizantini nota eſt, qui gypſo pulverato farinæ triticeæ admix-

ANTIDOTUM. Potus cum aceto, vomitorium, purgans.

VIRTUS MEDICATA. Externe ad maſſam ceraceam pro obducendis peſſariis adhibetur.

GLACIES MARIÆ, ſeu SELENITES.

NATRUM glaciale L. *Marienglas — Frauenglas. Lapis ſpecularis.* Eſt terra calcarea acido vitrioli penitus in ſal terreum mutata.

ODOR nullus; & SAPOR terreus.

VIS NOXIA. Stimulo mechanico agit quidem in ventriculum & inteſtina, at ſimul ſymptomata gypſi inducit.

ANTIDOTUM præcedentis.

VIRTUS MEDICATA nulla.

CRYSTALLUS MONTANA.

NITRUM Cryſtallus montana L. *Bergkryſtall.*

ODOR nullus. SAPOR terreus.

VIS NOXIA. In pollinem tenuiſſimum redacta cum muco ventriculi & inteſtinorum concreſcens, irreſolubilem conſtituit gluten terreum, latera ventriculi & inteſtinorum obducens, vaſa

---

to, magnam Imperatoris CONRADI III. exercitus partem necaverat, & ſic hujus expeditionem bellicam irritam reddiderat.

excretoria & abſorbentia obſtruens. Hinc appetitus, ciborum digeſtio & chyli abſorptio impeditur. Unde atrophia & mors ni malo ſuccurratur.

Antidotum præcedentis.

VENENA ACIDA.

Quæ ſuo *acore minerali* in primas vias agunt.

ACIDUM VITRIOLI CONCENTRATUM.

Oleum vitrioli glaciale. Vitriolöhl.

Eſt acidum ſui generis ex vitriolo, alumine vel ſulphure elicitum.

Odor peculiaris. Sapor acidiſſimus, cauſticus.

Vis noxia. Ventriculo ingeſtum, os, linguam, fauces, œſophagum, ventriculum & inteſtina inflammat, arrodit, ſpaſmo conſtringit, humores coagulat, tuſſim, motus epilepticos excitat, & non raro gangræna ventriculi necat.

Antidotum. Potio oleoſo-mucilaginoſa, oleum, butyrum, alcali, terræ abſorbentes.

Virtus medicata. Ob vim antiſepticam & roborantem in morbis putridis, quibusdam nervoſis, ſcabie convenit, at aqua dilutum, externe in epulide ſeu excreſcentia gingivarum carnoſa guttatim applicatum prodeſt.

P 4

Odor peculiaris. Sapor acidiſſimus.

Vis noxia præcedentis. Eſt autem acido nitri multo debilior. V. *halitus nitroſus*.

Antidotum præcedentium.

Virtus medicata præcedentis.

AQUA REGIA.

Eſt acidum ſalis cum acido nitri. *Königswaſſer*.

Odor peculiaris. Sapor acidiſſimus.

Vis noxia præcedentium acidorum.

Antidotum præcedentium.

Usus medicus, cauſticus, externus.

VITRIOLUM ALBUM.

Vitriolum album L. *weiſſer Vitriol*, *weiſſer Galizenſtein*. Eſt ſal metallicus ex acido vitrioli & zinco conſtans, ſi purum eſt, at nativum & venale ſimul ferrum & cuprum continet.

Odor nullus; Sapor nauſeoſus, ſtipticus, acidus.

Vis noxia, vomitum enormem, cardialgiam, tormina excitat ſi majori doſi ingeratur.

Antidotum. Lapides cancrorum, * oleoſo-mucilaginea, alcalina.

---

* *Sammlung für pract. Aerzte* 7. B. 1. St. p. 183.

Uſus medicus. Interne pro vomitorio, ad ℈ß cito agente laudatur; ad gr. ij vel iij in epilepſia, diarrhæa chronica, in arthritide, * Externe pro *aqua ophthalmica* adhibetur, quæ aqua cum melle roſaceo mixta egregium remedium in aphthis oris eſt.

VITRIOLUM COERULEUM.

Vitriolum cyprium L. *blauer oder Cypriſcher Vitriol.* Eſt ſal metallicus ex acido vitrioli & cupro conſtans.

Odor nullus. Sapor nauſeoſus, metallicus.

Vis noxia. Ingenti vi ſtiptica & cauſtica ventriculum afficit, hinc vomitus enormis, ** cardialgia, tormina, inflammatio & gangræna primarum viarum.

Antidota præcedentis.

Usus medicus. Externe qua cauſticum adhibetur, in ulceribus fungoſis ingreditur etiam *lapidem divinum.* Interne qua vomitorium in peſte, in hydrope *** quandoque datur.

---

* *Cel.* Petr. Wiel *de uſu interno nucis vomicæ & vitrioli albi in pertinacibus morbis curandis conſpicuo. Vitembergæ* 1771.

** A granis ſeu interne datis ingentes auxietas & enormes oriebantur vomitus. *Ill.* Hoffmann *med. rat. ſyſt.* 11. p. 290.

*** *Sammlung für Aerzte* 7 B. 1. St. p. 188.

VITRIOLUM VIRIDE TABERNARUM.

VITRIOLUM martis L. *grüner Vitriol.* Eſt ſal metallicus ex acido vitrioli & ferro conſtans. At nativum vitriolum viride fere ſemper cupro nonnihil contaminatum eſt.

ODOR nullus; SAPOR ſtipticus, acidus.

VIS NOXIA, aliquantum minor quam præcedentis.

ANTIDOTA præcedentium.

VIRTUS MEDICATA. *Vitriolum martis arte factum* ut roborans, anthelminthicum & emmenagogum adhibetur.

VITRIOLUM VULGARE GOSLARIENSE.

Eſt vitriolum ferrum & cuprum acido vitrioli junctum gerens. *Gemeiner Goslariſcher Vitriol. Kupferwaſſer.* Cupri præſentiam immiſſa ſolutioni vitrioli lamina ferrea prodit.

ODOR nullus. SAPOR nauſeoſus, ſtipticus, acidus.

VIS NOXIA, aliquantum minor quam vitrioli cœrulei.

ANTIDOTA præcedentium.

VIRTUS MEDICATA. Ad varia medicamenta vitriolica paranda in officinis pharmaceuticis adhibetur.

VENENA ALCALINA.

Quæ ſale alcalino cauſtico in primas vias agunt, ſi interne aſſumantur.

SAL ALCALINUS VEGETABILIS CAUSTICUS.

Eſt ſal alcalinus vegetabilis cauſticus ut *Sal tartari cauſticus. Aezendes Pflanzenlaugenſalz.*

Odor nullus; Sapor lixivioſus, cauſticus.

Vis noxia. Vomitum, alvifluxum & inflammationem ventriculi cauſat, ſi majori copia ingeratur. Ægrotus robuſtæ conſtitutionis unciam unam ſalis tartari hauriebat, inde vomitus enormis 48 horarum, qui ventriculi ſimul inflammationem excitabat, quæ mortem vix non attulit. *

Antidota involventia & acida diluta, emulſio, lac, oleoſa, pinguia, mucilaginea.

Virtus medicata. In acrimonia acida, in indurationibus lacteis, in rachitide.

SAL ALCALINUS MINERALIS CAUSTICUS.

Sal alcalinus fixus mineralis cum calce viva paratus. *Aezendes Minerallaugenſalz.*

* *Sammlung für Aerzte*, 7 B. 1 St.

Odor nullus; Sapor amaricans, lixivioſus, blandior tamen, quam in priore.

Vis noxia præcedentis.

Virtus medicata præcedentis.

SAL ALCALINUS VOLATILIS CAUSTICUS.

Sal alcalinus volatilis cauſticus cum calce paratus, ut *ſpiritus ſalis ammoniaci cauſticus* eſt, *flüchtiges äzendes Laugenſalz.*

Odor penetrantiſſimus alcalinus, nares horrende feriens & irritans; Sapor cauſticus, lixivioſus.

Vis noxia. Majori copia ori & ventriculo ingeſtus ſpiritus ſalis ammoniaci cauſticus inflammationem & gangrænam harum partium inducit. Hominis a cane rabido demorſi integra lagenula ſpiritus ſalis ammoniaci oris cavo infundebatur; labia, lingua & palatum ilico nigricabant ex combuſtione & æger intra quartuor minuta moriebatur. * Abuſus ſalium volatilium, quos juvenis majori copia adſueverat eſitare, hæmorrhagias de inteſtinis, naribus, gingivis pruritum, intolerabilem, febrem hecticam, mortemque intulit. **

---

* *Cel.* Martinet *Experiences nouvelles ſur les proprietes de l'alcali volatil fluor.* 1780.

** Huxham *of the malignous Sore-throat.* p. 68. *Ill.* Halleri *de partium fabrica & functionib.* T. 3. p. 152.

Antidota. Multus potus cum acido vegetabili, lac, oleum, butyrum.

Usus medicus in tumoribus arthriticis, in morſu viperæ gallicæ. Eſt optimum remedium excitans in aſphyxiis a mephitide acida.

LAPIS CAUSTICUS.

Eſt ſal alcalinus fixus materia cauſtica calcis valde imbutus. *Aezſtein.*

Odor nullus; Sapor igneus, lixivioſus, cauſticus.

Vis noxia. Partes animales in eſcharam & tabum corrodit, hinc interne majori doſi datus eandem ſtragem ventriculo & inteſtinis induceret.

Antidota præcedentium.

Virtus medicata. Pro cauſtico ad aperiendos tumores inſervit.

LIXIVIUM CAUSTICUM SAPONARIORUM.

Eſt liquidum ex alcali vegetabili fixo & materia cauſtica calcis vivæ conſtans. *Aezende Seifenſiederlauge.*

Odor nullus; Sapor lixivioſus, cauſticus.

Vis noxia præcedentium.

Virtus medicata ad aliquot guttas calculoſis datur.

CALX VIVA.

LAPIS CALCAREUS uſtus, *ungelöſchter Kalch.* Eſt terra calcarea materie cauſtica imbuta.

ODOR nullus; SAPOR cauſticus, acris.

VIS NOXIA. Calx viva ventriculo ingeſta vi cauſtica ejus inflammationem & arroſionem inducit. Inde ardor & ſitis inexplebilis, cardialgia, tormina, ſpaſmi, convulſio, mors.

ANTIDOTA, oleum, mucilago, aër fixus, acidula.

VIRTUS MEDICATA. Pro paranda aqua calcis, & pro linimento ad nævos v. *auripigmentum.*

VENENA METALLICA.

Venena quæ indole metallica nocent, dividi ſolent

in venena *cuprea*
——— *plumbata*
——— *mercurialia*
——— *antimonialia* &
——— *arſenicalia.*

AURUM.

AURUM nativum L. *Gold.* Eſt metallum perfectum ex calce auri & phlogiſto conſtans.

VIS NOXIA. Aurum perfecte purum non eſt venenum, ſed corpus in noſtro ventriculo inge-

ſtum iterum immutatum e primis viis elim-natur. * Aurum vero in aqua regia ſolutum vim venenatam hujus aquæ adauget.

ANTIDOTUM. Solutio auri in aqua regia exigeret antidota mineralium acidorum.

USUS MEDICUS nullus. Si pretium non obſtaret pro aſſervandis cibis & medicamentis ſecuriſſima præberet vaſa. Denique paupertatis optimum eſt antidotum.

AURUM MONETARIUM.

Eſt aurum plus minus cupro commixtum, ex quo monetæ aureæ, vaſa aurea, aliaque ſuppellex aurea confici ſolent. *Münzgold.*

VIS NOXIA ab admiſto cupro dependet, hinc cupri ſymptomata venenata cauſat. Vide *Cuprum.*

ANTIDOTA etiam ſub conſideratione cupri dicentur.

---

* D. VAILLANT medicinæ Doctor & Regis Galliæ Atiquarius, quem prædones navigantem inſequebantur, timens ne in rapaces eorum manus incideret, numiſmata aurea viginti, quæ ſecum habebat, deglutivit, exque iis quædam in Galliam redux ſumta ſpinachia feliciter reddidit alvo. *Cel.* CÆLSI *ratio occurendi morbis a mineralium abuſu produci ſolitis* 1783. p. 8.

AU-

AURUM FULMINANS.

Eſt calx auri cum alcali volatili intime juncta. *Knallgold.*

Odor nullus; Sapor inſipidus.

Vis noxia. Interne majori doſi aſſumptum excitat tormina, anxietatem, ſpaſmos, convulſiones, vomitum, diarrhæam, profuſiſſimam ſalivationem, * animi deliquia & non raro mortem. **

Vis noxia externa. A frictione vel accedente calore etiam ſine flamma admota cum horrendo ſtrepitu exploditur. Juvenis 22 annorum laguncula vitreæ aurum fulminans injecit, non attendens infelix unam alteramve particulam collo adhærere, eam clauſurus epiſtomium vitreum vertendo intrudebat; eodem momento cum ingenti tonitru in innumeras moleculas diſſilit lagenula; homuncio inter furnos laboratorii magno impetu projicitur, facie diſſilientis lagenulæ fruſtulis tota vulnerata, & oculis ambobus deperditis. ***

---

* In duobus ægrotis a tribus granis auri fulminantis tormina, ingentem debilitatem & profuſiſſimam vidi ſalivationem.

** *Ill.* Hofmann *med. rat. ſyſtem* II. p. 287. & *Cel.* Gmelin T. III. p. 98.

*** *Cel.* Macquer *Chymiſch. Wörterb. Leipzig* 1781. p. 186.

Antidota. Oleoſis, mucilaginoſis, ſulphuris vel ſalis marini ſpiritu enervatur.

Virtus medicata. Quondam ut catharticum ad grana IV in ileo * dabatur; at abſtinendum ab inſido remedio.

ARGENTI PRÆPARATA.

Argentum nativum L. *Silber*. Eſt metallum perfectum ex calce argenti & phlogiſto conſtans.

Odor & Sapor nullus.

Vis noxia. Argentum perfecte purum non eſt venenum. At argentum in aqua forti ſolutum, reddit aquam fortem multo acriorem, hæc acerrima eſt, ac omnes partes molles corrodit.

Antidota antacida & obvolventia, ſi *argenti ſolutio in aqua forti* ventriculo ingereretur.

Virtus medicata. Externe ſolutio argenti pro cauſtico inſervit, cuti maculam obſcure rubram induci', cum plurima aqua diluta ſolutio ad capillos nigro colore imbuendos inſervit.

ARGENTUM MONETARIUM.

Eſt argentum plus minus cupro vel plumbo contaminatum, ex quo monetæ, vaſa & multi-

* *Cel.* Macquer *Chymiſch. Wörterb.* p. 187.

plex alia ſuppellex argentea confici ſolet. *Münzſilber.*

Vis noxia. Vinum vel alia acida in vaſis argenteis conſervata hinc vomitum, tormina & alios noxios effectus producebant. *

Antidota cupri vel plumbi.

Virtus medicata nulla, niſi pro inſtrumentis quibusdam chirurgicis.

LAPIS INFERNALIS.

Lapis infernalis. Höllenſtein. Eſt argentum acido nitroſo junctum.

Odor nullus; Sapor deterrimus; causticus.

Vis noxia. Deſtruit vi corroſiva partes molles, epidermidi maculam nigram cum ſolo epidermidis ſeceſſu evanidam inurit. Hinc ventriculo ingeſtum eſt atrociſſimum venenum corroſivum.

Antidota. Oleoſa, pinguia, aquoſa, mucilaginoſa, alcalina, ut ſapo venetus, abſorbentes terræ.

---

* *Ill.* Van Swieten *Comment. T. IV. p.* 703. novi dicit optimum & ſincerum vinum in phiala argentea clauſa ſervatum, peſſima mala produxiſſe, dum potaretur. Illud autem non ab argento factum fuit, ſed a cupro, quod in utenſilibus ex argento paratis ſemper adeſt. Phialæ enim illius argenteæ ſuperficies interna ærugine obducta inveniebatur, dum in cauſam horum malorum inquirebatur.

Virtus medicata. Externe pro conſumenda & ſiccanda carne fungoſa ulcerum epuloticorum inſervit.

ARGENTUM HYDRAGOGUM BOYLEI.

Sal metallicus ex argento & acido nitri confectus. *Boyles Silberarzney.*

Odor nullus, Sapor amariſſimus.

Vis noxia. Cauſtica, draſtica, valde hydragoga, debilitatem ventriculi diu reliquens.

Antidota præcedentis. Debilitatem ventriculi remanentem rob baccorum juniperi ſanat.

Virtus medicata. Ad grana duo in hydrope & vermibus laudatur, ſed cave a periculoſo remedio.

BISMUTHI PRÆPARATA.

Bismuthum nativum L. *Wismuth. Marcaſita.*

Vis noxia. An hoc metallum per ſe venenum ſit, non patet.

MAGISTERIUM BISMUTHI.

Eſt *calx bismuthi. Wismuthweiſs.*

Vis noxia. Interne aſſumptum intolerabiles anxietates cauſavit. *

Antidotum lac, oleoſa cum ipecacuanha.

* *Memoires de l'academie de Berlin,* 1753.

Usus medicus nullus. Externe pro coſmetico albo adhibetur.

CUPRUM.

Cuprum nativum L. *Kupfer.*

Odor proprius, ſi manu teratur. Sapor valde nauſeoſus.

Vis noxia. Cuprum puriſſimum & non ærugincſum eſt innocuum, at quocunque humore ſolutum veneni atrociſſimi edit effectus. Solvitur vero ab omnibus ſalibus acidis, alcalinis & neutris nec non a pinguibus.

Cuprum vel ex eo parata intus ſumpta, horrenda ſequuntur ſymptomata, nempe ſapor valde nauſeoſus ſeu æruginoſus, ariditas linguæ ac faucium, ſitis ingens, ventriculi & inteſtinorum dolores acerbiſſimi, enormes vomitus ac alvi fluxus, aut inanes & frequentiſſimi niſus reddendi alvum, urinæ ſuppreſſio pertinax, anxietas ſumma, ſpirandi difficultas, vertigo, capitis dolor, phrenitis, inflammatio ac ulcera ventriculi & inteſtinorum, intumeſcentia totius corporis, convulſiones, mors. *

Poteſt cuprum *forma cibi*, *potus*, vel *medicamenti* corpori noſtro ingeri

---

* *Cel.* Caelsi *ratio occurendi morbis a mineral. abuſu.* p. 18.

1. *Cibus cupratus.* Integras familias a cibis in *vaſis cupreis* præparatis & conſervatis fuiſſe exſtinctas frequens docuit experientia. Huc pertinent *cucumeres* * *Gemmæ caparidum*, ** *phaſeoli* in vaſis cupreis conditi, *Carpiones* in aheno cupreo cum aceto cocti & reſervati, *legumina*, *butyrum* in iisdem diu retentum. *** Vaſa ex *ære campano*, vel *auricalcho* aut *metallo principis* vel *cupro albo* confecta minus ſunt nociva, quia minus cupri continent, non tamen abſque noxa adhiberi poſſunt.

2. *Aqua cuprata.* Aqua fontana in vaſe cupreo diu reſervata. *Aqua Neuſolienſis* maxime huc pertinet.

3. *Vinum cupratum.* Vinum, quod diu in amphora cuprea ſtabat.

4. *Spiritus vini cupratus.* Spiritus vini ex alembico cupreo deſtillatus prodit quidem pellucidus & coloris expers at ta-

* Falconet *obſervations and experiments on the poiſon of copper. London* 1724. & *Gütting. Gel. Anzeigen* 34 St. 1776 p. 88.

** *Journal de medecine* 1766, T. 24. Febr. p. 150.

*** *Cel.* Gmein *Geſchichte der mineraliſchen Gifte p.* 63.

men cuprum in ſe continet. *Criterium* optimum eſt ſapo ſpiritui immiſſus, hic enim forma ſtriarum videſcentium in ſpiritu vini cuprato ſolvitur, nam a ſolo ſpiritu ſalis ammoniaci ſpiritus vini cupratus non videſcit. *)

Optimum & ſecuriſſimum remedium ſpirituum vini a cupro liberandi eſt immiſſio calcis exſtinctæ, quæ cuprum e ſpiritu vini præcipitat.

5. *Medicamentum cupratum.* Medicamenta in mortariis æneis trita vel præparata & ipſa medicamenta ex cupro præparata huc ſpectant, ut *cuprum uſtum, cuprum ammoniacum, ærugo. Ens veneris, crocus veneris. Lapis armenus, cæruleum montanum, Vitriolum cæruleum.*

Vis noxia externa. A policis punctura ope acus cuprei æruginoſi ingens inflammatio, gangræna brachii & mors oriebatur. **)

Criterium cupri eſt ſpiritus ſalis ammoniaci, qui cuprato cibo vel medicamento inſtillatus ſaphirino colore cuprum prodit.

---

* *Cel.* Ploucquet *Warnung an das Publikum für einem in manchen Brandweinen enthaltenen Gift, ſammt den Mitteln es zu entdecken und auszuſcheiden. Tübingen* 1780.

** Missa in *Recueil periodique* II. *Art.* 1755. *p.* 284.

Antidota. Ubi quis cibum cupro infectum vel æruginem aſumpſit, vomitus ſi non ſponte ſuccedat, irritatione faucium mechanica protinus concitandus. Dein

Aqua tepida pura, mucilagines, lac vaccinum, amygdalarum aut olivarum oleum recens preſſum, butyrum non ſalſum, una cum putaminibus ovorum vel creta aliisque acidum abſorbentibus affatim haurienda. Cuprum *ſale alcalino* ſolutum mere oleoſa & mucilaginoſa exigit. *Externe* cataplasmata emollientia & balnea calida admoveantur.

Tremorem poſt alia remedia adhibita remanentem, potus thermarum ſulphurearum & balnea ex iis tollunt.

Virtus medicata. Ab interno uſu cupri plane in praxi abſtinere conſultiſſimum eſt. *Externe* viride æris in *unguento ægyptiaco* ad ulcera ſordida depuranda adhibetur. *Aqua ophthalmica ſaphirina* in morbis oculorum quibusdam adhuc in uſu eſt.

PLUMBUM.

Plumbum nativum L. *Bley*.

Odor nullus. Sapor dulceſcens.

Vis noxia. Plumbum ventriculo ingeſtum varios morbos, quos *ſaturninos* appellant, inducit. Inde oriebatur ſapor dulcis, ſiccitas oris, con-

ſtrictio gulæ, ponderis ſenſatio in ventriculo, appetitus ac virium dejectio; corporis pallor & macor, anxietas præcordiorum, vertigo, animi deliquium, tuſſis, aſtma ſiccum; ſingultus, nauſea, vomitus, vigiliæ perpetuæ, cachexia, febris lenta, icterus, tremor, palpitatio cordis, dolores artuum nec non cardialgici ac colici intolerabiles, inflammatio lenta viſcerum abdominalium; fæces alvinæ, ovillis ſtercoribus ſimiles, introductio abdominis, alvus ita ſtricta ut enema injici nequeat, iſchuria, dyſuria, aphonia, paralyſis extremorum; ſudores frigidi, tandem convulſiones & mors.

Symptoma in variis morbi ſaturnini gradibus præ ceteris conſtans eſt *pulſus durus ligneus* ſeu chordæ ad inſtar denſus. Hic præter cognitam plumbi tractationem præ aliis ſignis certius labem ſaturniam ſubeſſe arguit. Sunt, qui *ventrem durum* & *ligneum* pro ſigno pathognomico adſignant, ſed hoc ſignum vel in graviſſimis colicis pictonum nonnunquam deſideratur. Alvus pertinaciſſime clauſa, umbilici introtractio & aſſiduus materiæ æruginoſæ vomitus ferme tantum in graviori colica pictonum ſpectatur. * Poſſunt autem ſaturnina

* *Cel.* Hæberl *de febribus annuis. Monach.* 1784. p. 70. & *Cel.* Stoll *rat. medendi*, T. II.

1) cibo, potui, medicamentis fraudulenter vel ex ignorantia admixta ventriculo ingeri; vel 2) forma halitus cum ſaliva deglutiri aut una enm aëre ad pulmones deferri vel 3) externæ cuidam corporis parti applicata in vaſa abſorberi.

Cibus plumbatus. Periculoſum eſt cibos acidos, aceſcentes, aut oleoſos in *vaſis plumbeis* vel ex *ſtanno plumbato* confectis aut in *fictilibus* vitro plumbato coloratis coquere vel diutius ſervare. Agricolæ in Belgio butyrnm augendi ponderis cauſa tempore annonæ *ceruſſa* miſcebant. Alii panem eadem mangonizabant, Mercatores fraudulenti oleis rancidis ceruſſam addebant, ut ea pro olivarum oleo recens preſſo incautis venderent. *

Aqua plumbata. Integra familia paralyſi vexabatur, dum ad culinares uſus adhibebatur aqua in magno *receptaculo plumbeo* reſervata diu hærens. ** Integra familia, quæ aquam ex puteo, cujus *embolus plumbeus* ab aqua ſelenitica corroſus erat, hauſerat, ægrotabat. Pater jam a longo tempore paralyſi afficiebabatur; mater colica & ictero diu laborans moriebatur. Ex 21 infantibus 8 in infantia moriebantur, reliqui ægrotabant toto tempo-

* *Cel.* Cælsi *l. c. p.* 30.

** *Ill.* Van Swieten *Comment.* T.

re, quo in domo paterna habitabant. * Eadem mala & ab aqua per plumbeos aquæductos advecta, ab aqua pluvia e tectis plumbo obductis in receptaculum ſuppoſitum depluente, oriebantur.

VINUM PLUMBATUM. Lucripeti & turpes œnopolæ vina immatura & acida *plumbo raſo*, aut *lithargyrio*, *minio*, *ceruſſa* vel *ſaccharo ſaturni* dulcificare ſolent. Vinum in *vaſis* ex ſtanno plumbato confectis vel cereviſia aut muſtum vini vel pomacei in *receptaculis plumbeis* diu relictum, colicam ſaturninam & paralyſes epidemice totas familias, vel cœtus hominum corripientes induxit. **

PRÆPARATA SATURNINA, quæ ſæpe ſcopo medicandi dantur, ut *Ceruſſa plumbi*, *Minium*, *Lithargyrium*, *Saccharum ſaturni*, *Magiſterium ſaturni*, *Extractum ſaturni*, *Aqua vegeto-mineralis*, *Plumbum uſtum*, *Plumbum corneum*. *Tinctura ſaturnina* &c. atrociſſimos morbos ſaturninos procreant. Iidem oriuntur a medicamentis aliis in vaſis plumbeis trita aut alio modo parata, nec non a medicamentis plum-

---

* *Cel.* WALL *in medical tracts*.

** *Ephem. N. C. Dec.* III. *A.* 4. *obſ*. 100. & *Cel.* BAKER. *Medical Transact. Vol.* I. p. 175. & Vol. II. p. 240. & *Cel.* ZELLER *de vinis lithargyrio mangoniſatis*.

plumbo adulteratis, ut a cinnabari, quæ minio, a mercurio vel ſtanno quæ plumbo adulterari ſolent.

Halitus plumbatus, qui a multis artificibus cum ſaliva deglutitus aut cum aëre in pulmones reſpiratus eosdem producit morbos. Vide inter venena halituoſa *halitum plumbatum.*

Vis noxia externa. Nocent ſaturnina particulis venenatis ad interioria corporis a cute abſorptis; quandoque ſimul materiam acrem criticе ad cutim depoſitam ad interiora corporis repellendo. A *Fuco ſaturnino* diu adhibito tabes pulmonalis, * contractura paralytoidea, & colica ſaturnina fuit viſa. ** Homo, qui, quum in ollam braxatoriam incidiſſet & a chirurgo quodam empyrico *emplaſtro ſaturnino* obvolutus eſſet, colica pictonum dein laborare cepit. *** A *cataplaſmate* ſeu *fomento ex ſaccharo ſaturni* ſoluto ſpaſmodica contractura, cardialgia, vomitus & colica orie

---

* *Ill.* Boerhaavius in *Elem. chym.* T. II. p. 309. ſex vel ſeptem nobiles puellas hujus fuci uſu mortuas novit.

** Nuper *Ill.* De Brambilla puellam colica pictonum a fuci ſaturnini uſu laborantem oleo & laudano ſervavit, cujus mater ab eadem cauſa contractura extremitatum ſuperiorum laboravit & ejus altera filia convulſionibus atque colica jam mortua fuit.

*** *Cel.* Haeberl de *febribus annuis* p. 68.

bantur, * Etiamſi 5 ſolum diebus ſaturninum remedium applicabatur. Ab *aqua vegeto-minerali* & *emplaſtro ſaturnino* quo ulcus cruris quadriduo deligabatur, colica ſaturnina & paralyſis oriebatur, quæ ſymptomata omiſſis remediis ſaturninis & uſu interno olei ricini brevi evaneſcebant. ** Canis qui ſuper *laminis plumbeis* dormire & vir qui juxta caminum plantas pedum laminis plumbeis imponere longo tempore conſuevit, paralyſi crurum afficiebantur. *** Puer biennis ſaniſſimus, qui nudatis pedibus ſuper laminas plumbeas adhuc a fuſione calentes incedere amabat, ſubito doloribus colicis, febre & convulſionibus corripiebatur *) a *ceruſſa*, qua intertrigo genitalium infantis inſpergebatur colicam & paralyſim femorum vidi.

Diagnosis morbi saturnini. Vinum v. g. lithargyro mangoniſatum noſcitur

1. Ex *ſapore dulceſcenti.*
2. — cardialgia, capitis dolore, paralyſi colica pictonum aut alio morbo poſt vini uſum ſuperveniente.

---

* *Cel.* Percival *on the poiſon of lead.* p. 12. & 15.

** Percival. l. c. p. 13.

*** *Idem* p. 77.

*) *Cel.* Wall apud Percival p. 126.

3 — *præcipitato nigro* ſi vino *liquoris probatorii*, recenter parati * vel *tincturæ ſulphuris volatilis* exigua portio inſtilletur. Minus certa criteria acidum ſalis vel vitrioli & ſal alcali ſunt.

4. — *Particulis metallicis* griſeis & ſplendentibus, quæ in fundo vaſis, quo vinum continebatur, oculo nudo vel armato, quandoque conſpicitur.

5. — *regulo plumbi*, qui ex reſiduo poſt 8 librarum evaporatarum per ignem fuſo re-

---

* *Liquor probatorius* ſequenti modo conficitur. ℞. pulv. auripigmenti drachma dimid. calcis vivæ drachma ij. miſce & coque in aquæ pluvialis puriſſimæ drachma XII. dimidiæ horæ ſpatio, decoctum refrigeratum percoletur & in phialis rite obturatis ſervetur uſui. Jubent authores ut vini unciis duabus vel tribus guttæ aliquot liquoris probatorii inſtillentur; ſi hoc fiat rubrum vel fuſcum vel nigrum atque turbidum, vinum ſaturninis adulteratum eſſe contendunt; ubi vero lactei coloris nubecula appatet; vinum aſſerunt meracum eſſe. At cum ſtannum, cuprum, mercurius & aurum ſimili modo & colore ex acido vegetabili per liquorem probatorium præcipitentur, hinc hicce ſolus liquor non ſufficit ad detegendum plumbum in vino, niſi cætera criteria ſimul adhibeamus. *Cel.* W o l l i n *Verfälſchung des Weins mit Bleyglätte* p. 70. & *Cel.* D e l i i *Reviſion der Weinprobe auf Bley. Erlang.* 1779. Nullum vero aliud metallum dulcificat vinum quam ſaturnus.

maneť. Hoc ex omnibus ſignis *infallibi-le* ſolum eſt.

6. *Aqua plumbata*, noſcitur ex colore liliaceo, ſeu violaceo-roſeo, ſi aquæ hujus ℥iv guttæ ſeu ſolutionis argenti in acido nitri confectæ inſtillentur. *

Medela morborum saturninorum. In ipſo colicæ ſaturninæ *paroxyſmo* omni hora uncia una *olei amygdali* cum aliquot guttulis *laudani liquidi* præbeatur. Efficaciſſimum remedium vero eſt *oleum ricini*, quod præter vim obvolventem & ſpaſmos ſopientem inſimul alvum movet. Externe enemata oleoſa, balneum tepidum, fomentum oleoſum conveniunt.

Paroxyſmo remittente illico detur *purgans* eum *opio* vel extracto *hyoſciami*, ut plumbum cum alvo evacuetur. Opium vel extractum hyoſciami idcirco purganti additur, ut ſolvat ſpaſmum alvi obſtinatæ cauſam. Fortiſſima purgantia & enemata alvum non movent ſed aucto ventris cruciatu vomitus enormes excitant, non præmiſſo opio. Opium ſolum quandoque ſine addito purgante alvum movet.

Mixtura ex ſalis amari & mannæ ℥iſs cum uno grano opii & ſyrupo quodam in ℥iv

* Cel. Sage *Unterſuchung verſchiedener Mineralien. Götting.* p. 23.

aquæ ſolutis. Vel *Pilulæ* ex reſina jallapæ & pilulis pacificis Ediub. aa gr. viij atque oleoſacchari aurantiorum ℈j pro una doſi, valde conveniunt. Alii rheum cum lapidibus cancrorum vel magneſia aut quod efficacius cum ſale ſodæ laudant. * Alii denique aluminis crudi grana xv. omni quadrihorio in ipſo paroxyſmo dant. **

Reliqui morbi ſaturnini ut paralyſis, contractura &c. ſæpius purgatis primis viis ſanantur remediis *nervinis*, e quibus camphora, caſtoreum, aſa fœtida, electricitas, decoctum valerianæ ſylveſtr. vel cort. peruviani, ligni ſaſſafras, *** cum antimonio crudo maxime conferunt. Nec non lacticinia, balnea frigida, opium in refracta doſi, ſal alcali, ſapo venetus cum rheo diu continuata. Aquæ alcalinæ & mar-

---

* *Cel.* Weber *Phyſik. Chem. Magaz.* I Th. p. 18. ter de die drachmam rhei & totidem lapidum cancrorum vel ſalis ſodæ enixe comendat. *Cel.* Malouin *in medic. Chymic. Altenb.* 1764. Th. II. p. 37. Sal tartari ut antidotum plumbi laudat.

** Tertia doſis colicam jam mitigabat. *Geſammlete Schriften zur Erkenntniſs und Behandlung der Bleykolik* p. 335.

*** Poterius figulum paralyſi ſaturnina affectum decocto ligni ſaſſafras & baccarum lauri brevi priſtinæ ſaluti reſtituit.

tiales

tiales, diæta lactea. * Mercurius vivus. **

Quandoque colica ſaturnina tempore æſtivo cum *ſaburra bilioſa*, quæ emetico purgans exigit & tempore hyemali cum *plethora* vel *phlogoſi abdominali*, quæ venæ ſectionem & antiphlogiſtica poſcunt, antequam opiata porrigi queunt, complicatur.

Virtus medicata. Ab interno ex plumbo præparatorum remediorum uſu in praxi medica plane abſtinendum eſt, ſunt quidem non infimi ſubſelii medici, qui uſum internum plumbi, ut *tincturam ſaturninam*, quæ in phthiſi laudatur *** ſalutarem eſſe male crediderunt. At remedium quod centies detrimentum attulit, & ſemel iterumve forte fortuna aut

* *Ill.* Werlhofius podagricos duos partim ex materia arthritica, partim ex colica ſaturnina vinoſa omnium membrorum paralyſi affectos, lentaque ſabefactos febre, in integrum reſtituit lactea diæta.

** *Cel.* Caelsi *ratio occurrendi morbis a mineralium abuſu producti ſolitis. Romæ* 1780. p. 39. ſcire etiam oportet dicit: mercurium vivum per os ingeſtum peſſima nonnunquam ſymptomata debellaſſe a ſalis ſaturni abuſu producta.

*** *Cel.* Vogel *Verſuch einiger Beobachtungen. Gött.* 1777. p. 12. & *Cel.* White in *medicin. Comment. von Edimburg* 3 B. 1 St. p. 79.

benignæ naturæ induſtria non nocuit aut etiam profuiſſe ſolummodo videtur, fugiendum eſt.

Usus externus plumbatorum, etſi non omni periculo careat, in exigua doſi facilius tamen fertur. *Oleum* cum *minio* coctum variorum emplaſtrorum baſis eſt. *Lamella plumbea*, vel ſuccus dauci cum aliquot guttis aceti lithargyrii mixtus in ſcirrho cancroſo coercendo laudatur.

STANNI PRÆPARATA.

Stannum cryſtallinum L. *Zinn*.

Odor ingratus, ſi calefiat; Sapor metallicus.

Vis noxia. Stannum perfecte purum interne exhibitum non eſt venenum. Neque ſtannum, cujus uncia unum *arſenici* granum continuit, interne in raſura cani datum vim noxiam intulit, ut experientia docuit. Arſenicum enim non forma ſalina ſed regulina & intime comixta ſtanno adhæret. * Neque *cuprum*, quo ſtanni mollities ad vaſa culinaria paranda adaptatur, in exigua doſi, (nempe ℔ iiß cupri ℔ j Bismuthi & 97 ℔ ſtanni) malos inducit effectus.

---

* Cel. Bayen *chym. Unterſuchung über das Zinn und Beantwortung der Frage: ob man ſich ohne Gefahr zu oekonomiſchen Gebrauche der zinnernen Gefäſſe bedienen könne?* Leipzig 1784. p. 176. & 179.

Cuprum enim niſi ærugine infectum non nocet. * Sed ſtannum *valde arſenicatum* vel *valde cupratum* noxas ſanitati infert.

Peſſima vero ſtanni mangoniſatio eſt miſcella cum *plumbo.*

Antidota cupri & plumbi.

Vis medicata. Raſura ſtanni ad tæniam expellendam laudatur.

STANNUM PLUMBATUM.

Stannum, quod ad ſtannanda vaſa cuprea adhibetur, quandoque a lucripetis ſtannatoribus ex una parte ſtanni & ſex vel ſeptem partibus plumbi conficitur. **

Vis noxia hinc a plumbo. Stannum purum nimis molle eſt, quam ut vaſa culinaria inde confici poſſent, ideo a multis plumbo miſcetur. Noſcitur ſtannum plumbatum ſi ovum recens coctum dimidio diſſectum imponatur cum adfuſo aceto patinæ e ſtanno plumbato confectæ. Sic acetum dulceſcit & ovi ſuperficies liveſcit ſat profunde, ſi ſtannum valde plumbatum.

Antidota plumbi.

---

* Bayen l. c. p. 191.

** *Cel.* Ploucquet l. c. p. 40.

VENENA MERCURIALIA.

MERCURIUS VIVUS.

HYDRARGYRUM virgineum L. *Queckſilber.* Eſt ſemimetallum in atmoſphæræ calore fluidum, coloris argentei.

ODOR nullus. SAPOR metallicus.

VIS NOXIA. Mercurii vivi magnam copiam abſque noxa deglutiri poſſe, multiplici experientia conſtat. Diuturnus tamen ejus uſus inducit varios morbos, *mercuriales* dictos, nempe tremorem artuum & impotentiam crurum.

VIS NOXIA EXTERNA. Imprudenter aut nimis diu adhibita *frictio mercurialis* non raro inducit anorexiam, ſitim, oris fœtorem peculiarem, febrim, gingivarum, linguæ, palati, tonſillarum, labiorum, genarum tumorem, dolorem, calorem, inflammationem, ulcera alba dolentiſſima, gangrænam ſphacelumque; copioſum diu noctuque viſcidæ ſalivæ effluxum; tumorem capitis immanem una cum oculis turgidis, prominentibus, ſanguineis; dentium antea ſaniſſimorum dolorem, cariem, lapſum; totius ſanguinis diſſolutionem, debilitatem ſummam, animi deliquia, ſtuporem, paralyſin, claudicationem perpetuam, œdema crurum, ſæviſſimam cardialgiam, vomitum, alvi fluxum aquo-

ſum, olidiſſimum cum acerbiſſimis torminibus, aneuryſmata, hæmoptiſin, aliaſque hæmorrhagias, atrophiam, maxillarum aliorumque oris ac naſi oſſium cariem, diras anxietates, reſpirandi difficultatem, ſuffocationem aut convulſiones lethales. Luctuoſiſſima exempla mortis ab innunctione mercuriali inductæ apud authores proſtant.

Quandoque mercurius per inunctionem corpus ingreſſus in majores globulos coit, ac in oſſium celluloſis receſſibus, nec non in aliis corporis partibus ſub nativa forma ſua reperitur. *

Antidota. Quam primum hydrargyroſis aliquem morbum cauſat, a frictione illico abſtinendum, tibialia, femoralia, induſia, lecti linteamina, unguento mercuriali conſpurcata, ſtatim removenda, partes inunctæ ſpongia ſaponis lixivio madente detergendæ, totum corpus balneo calido abluendum.

Morbi *mercuriales* ſequenti medela curandi; nempe *plethora, febris* cum *inflammatorio oris* & *capitis tumore* venæſectiones, alvi ductiones refrigerantes & potus emollientes mucilaginoſos cum nitro exigit.

Linguæ tumor ſuffocationem minatus, ſimul ut hirudines ei affigantur aut ſcarificetur, poſcit.

* *Cel.* Cælsi l. c. p. 43.

Ptyaliſmus leniora clyſmata, purgantia mitiora, flores ſulphuris, atmoſphæræ calorem moderatum, balnea tepida poſtulat. Docuit obſervatio camphoram ptyaliſmum minime compeſcere etſi ab aliquibus commendetur.

Alvi fluxus dyſentericus nullo remedio tam efficaciter curatur quam opio cum mucilaginoſis per os anumque ingeſtis nec non ſudore ſtragulorum.

Tremori a mercurialibus orto infuſum vel eſſentia radicis enulæ; efficacius adhuc reperitur cortex peruvianus cum floribus ſulphuris.

Paralyſi medentur flores arnicæ, frictiones, vis electrica &c.

Cachexiam, *tuſſim* cum febre purisque ſputo ac ſudoribus colliquativis nec non *hæmorrhagias* varias, oris ulcera mercurialia, aliaque mala chronica a mercurialium abuſu inducta, cortex peruvianus, decoctum turionum pini, infuſum malti diuturno uſu tutiſſime curat.

VIRTUS MEDICATA. Internus *mercurii gummoſi* uſus in omnibus morbis venereis, in vermibus, in tetano, in morſu canis rabidi, in morſu viperæ italicæ laudatur. Vide *Pharmacologiam chirurgicam*.

MERCURIUS SUBLIMATUS CORROSIVUS.

Eſt ſal metallicus ex mercurio & acido ſalis conſtans. *Aezender Queckſilberſublimat.*

Odor nullus. Sapor metallicus, auſterus, ingratiſſimus.

Criterium mercurii ſublimati in liquore quodam ſoluti, eſt præter ſaporem metallicum pulvis lateritii coloris, ab aqua calcis recenti affuſa præcipitatus, & mercurius ex hoc pulvere ſublimatus.

Vis noxia. Ultra unum alterumve granum ventriculo ingeſtus eſt deterrimum venenum, quod vomitu enormi, alvi fluxu dyſenterico, inflammatione & gangræna ventriculi atque inteſtinorum, convulſionibus &c. celeriter necat.

Minima vero copia, nimisque diuturno uſu ingeſtus, tabem, hæmoptoen, tuſſim inducit atque eodem modo ac immoderata hydrargyroſis nocet.

Vis noxia externa. Nec externa mercurii ſublimati applicatio ſine ſumma circumſpectione adhibenda eſt. Nam matrona, cui mercurius ſublimatus ope emplaſtri applicabatur, doloribus intolerabilibus, convulſionibus, vomitionibus, faucium ingenti tumore, ſalivatione miſerrime excruciata obiit. Cuidam puellæ contra pediculos capitis unguentum ex mer-

curio ſublimato illinebatur; inde caput adeo intumuit, ut brevi infanti pereundum fuiſſet, niſi forte lixivium e cineribus ope linteorum applicatum fuiſſet, quo remedio brevi convaluit, ita tamen ut capilli deciderent.

ANTIDOTA. Copioſus potus mucilaginoſus, emulſio, lac, oleum, butyrum, adeps. Urina vaccina vel equina. *

Antidota *ſpecialia* ſunt ſales alcalini & terræ abſorbentes, hinc lapides cancrorum, putamina ovorum, aqua calcis, lixivium cinerum.

Mercurius ſublimatus *externe applicatus* lixivio alcalino abluatur eoque locus affectus fomentetur.

VIRTUS MEDICATA. Ab interno uſu plane abſtinendum eſſe opinor.

MERCURIUS DULCIS.

Eſt mercurius ſublimatus mercurio vivo valde dulcificatus. *Verſüſtes Queckſilber.*

ODOR nullus. SAPOR terreus fere inſipidus. Aqua fere inſolubilis.

VIS NOXIA. Mercurius dulcis male præparatus ſeu non bene dulcificatus eadem fere ac mercurius ſublimatus corroſivus excitat ſympto-

---

* *Cel.* CÆLSI l. c. p. 51.

mata. Mercurii dulcis etiamſi bene præparati uſus diuturnus ac copioſior eosdem morbos ac inunctionum mercurialium abuſus producit.

ANTIDOTA hinc eadem quæ ſublimatus corroſivus exigit.

VIRTUS MEDICATA. Vide *Pharmacologiam chirurgicam*.

MERCURIUS PRÆCIPITATUS ALBUS.

Eſt calx mercurii ex acido nitri ope acidi ſalis præcipitata. *Weiſſer Queckſilber-Präcipitat.*

ODOR & SAPOR nullus. Aqua fere inſolubilis.

VIS NOXIA. Eſt mercurio dulci acrior hinc majori doſi ac minor ſublimati agit. Quandoque *ceruſſa* mangoniſatus eſt.

ANTIDOTA eadem ut in ſublimato corroſivo.

VIRTUS MEDICATA. Granum unum diu cum granis decem ſacchari albi puriſſimi in mortario vitreo triti, omni trihorio datum in morbis venereis præſertim oſſium laudatur. * Unguentum e mercurio præcipitato in malis cutaneis eſt efficax.

---

* *Ill.* VAN SWIETEN *Comment.* T. V. p. 532.

MERCURIUS PRÆCIPITATUS RUBER.

Eſt calx mercurii ex acido nitri abſtracto: *rother Queckſilber-Präcipitat.*

Odor & Sapor nullus.

Vis noxia. Majori doſi ingeſtus, cum præcipitato albo ſit magis cauſticus, eadem mala ac exigua doſis ſublimati inducit.

Antidota mercurii ſublimati corroſivi.

Virtus medicata præcedentis, de uſu externo vide *Pharmacologiam chirurgicam.*

TURPETHUM MINERALE.

Eſt calx mercurii, acido vitrioli impraegnata. *Mineraliſcher Turbith.*

Odor nullus, Sapor nauſeoſus.

Vis noxia. Mercurii ſublimati corroſivi. Turpethum minerale naribus tantummodo attractum ſudores, vomitum, alvi fluxum, urinas, ptyaliſmum, lacrymas una cum capitis ingenti tumore moviſſe dicitur. *

Antidota ejusdem.

Usus medicus. Scopo vomitorio ad gr. ij laudatur in morſu canis rabidi.

---

* Boyleus id refert.

VENENA ANTIMONIALIA.

ANTIMONIUM ſtriatum L. *Spieſsglas* ſeu *Spieſsglanz*. Eſt ſemimetallum ex regulo proprio & ſulphure conſtans; Odore & ſapore carens.

Antimonium crudum olim pro veneno habitum fuit, experientia autem docuit præſtantiſſimum hoc eſſe remedium quod tuto interne dari ſine noxa poſſit. Sed antimonii præparata regulina noxia ſunt, ut

REGULUS ANTIMONII.

Eſt antimonii pars ſemimetallica, a ſulphure ſeparata. *Spieſsglaskönig*.

VIS NOXIA. Incaute aſſumptus vomitum & alvi fluxum enormem, ventris tormina intolerabilia, diras anxietates ac corporis jactationes, hæmorrhagias, convulſiones, ventris inflationem ſummam; ventriculi & inteſtinorum inflammationem, eroſionem, gangrænam, mortem etiam hominum robuſtiſſimorum cauſat.

ANTIDOTA. Cenſentur ſulphur, oleoſa, mucilaginoſa, ceracea abſorbentia, ori & ano ingeſta. *Acida* non conveniunt.

FLORES ANTIMONII.

Eſt antimonium toſtione deſulphuratum & ſublimatum. *Spieſsglasblumen*.

Vis noxia præcedentis.

Antidota præcedentis.

BUTYRUM ANTIMONII.

Eſt regulus antimonii acido ſalis ſolutus. *Spieſsglasbutter.*

Odor croceus. Sapor acidus, cauſticus.

Vis noxia. Vi corroſiva partes corporis vivi, quas tangit, celerrime deſtruit ac in eſcharam convertit; acrimonia ſua longe ſuperat quæcunque alia ſtibii præparata.

Antidota. Præter oleoſa & mucilaginoſa dentur terræ abſorbentes & ſales alcalini.

Virtus medicata. Ad callos ulcerum & ſtaphyloma corneæ diſſipandum ope penicilli corneæ quotidie illinitur & ſtatim iterum injectione lactis tepidi ablutur. *

VITRUM ANTIMONII.

Eſt antimonium in crucibilo per ſe fuſum. *Spieſsglasglas.*

Vis noxia. Violentius agit quam regulus antimonii & crocus metallorum. Grana octo vitri antimonii in ſubſtantia exhibiti poſt vomitus ingentes, dolores intolerabiles, ventricu-

* *Cel.* Janin *Beobacht. über das Auge* p. 348.

li inflammationem atque convulſiones, mortem intulerunt. *

Inde patet, quid *vitrum antimonii ceratum*, ac *Vinum antimoniatum Huxhami* majori doſi præſtent.

Antidota reguli antimonialis.

CROCUS METALLORUM seu ANTIMONII.

Eſt regulus antimonii, phlogiſti ſui parte aliqua ſpoliatus. *Spiesglasſafran; Metallſafran.*

Odor & Sapor nullus.

Vis noxia, emetico-draſtica, diarrhæam chronicam cum humorum putrida ſolutione inducens. **

Antidota. Præcedentis nempe oleoſa, mucilaginoſa, ſyrupus ceratus.

Virtus medicata. Pro præparatione *aquæ benedictæ Rulandi*. Equi crocum metallorum ad ℥j abſque noxa ferunt.

TARTARUS EMETICUS.

Eſt ſal metallicus ex regulo antimonii & acido tartari conſtans. *Brechweinſtein.*

Odor nullus; Sapor metallicus.

---

* Hoffmann *Med. rat. & ſyſtem.* T. II. p. 238.

** *Cel.* Lindestolpe p. 81.

Vis noxia. Majori doſi ingeſtus hyperemeſim & hypercatharſim, ventriculi & inteſtinorum inflammationem, gangrænam atque mortem inducit. *

Antidota. Oleoſa, mucilaginoſa, lac, alcalina, cera.

Vis medicata. Ad tria grana ſcopo emetico aqua ſolutus cochleatim datur.

MERCURIUS VITÆ.

Eſt regulus antimonii ope aquæ e butyro antimonii præcipitatus. *Pulvis ALGAROTI. Algarots Pulver.*

Odor nullus. Sapor inſipidus.

Vis noxia. Emetico-draſtica, inflammationem & gangrænam ventriculi inducens, hinc potius *Mercurius mortis* dicendus.

Antidota præcedentium.

HEPAR ANTIMONII.

Eſt antimonium ſale alcalino fuſum. *Spieſsglasleber.*

Vis noxia præcedentium.

SULPHUR AURATUM ANTIMONII.

Eſt antimonii regulus minus ſulphuratus quam in

* *Ill.* Hofmann *Med. rat. & ſyſtem.* T. II. p. 238.

antimonio crudo, ope aceti ex lixivio antimonii præcipitatus. *Spieſsglas-Goldſchwefel.*

Odor & Sapor nullus.

Vis noxia. Majori doſi ingeſtum hyperemeſim, hyperchatarſim atque inflammationem excitat; præſertim ſulphur auratum *primæ* præcipitationis.

Antidota præcedentium.

Virtus medicata. Reſolvens, diaphoretica, expectorans.

VENENA ARSENICALIA.

ARSENICUM ALBUM.

Arsenicum nudum L. *weiſſer Arſenik. Razengift.* Eſt ſemimetallum ex phlogiſto & calce acida propriæ indoles conſtans. *

Odor nullus, accenſi vero alliaceus; Sapor nullus.

Criteria arſenici albi ſunt, quod

1. *Saccharo pulveriſato* haud ſit abſimile at multo gravius.

* Arſenicum quatenus in aqua ſolvitur & cryſtallisatur, *ſalibus;* quatenus acido conſtat & phlogiſto, *ſulphuribus;* quatenus cum multo phlogiſto regulum dat, *metallis* adnumerari poteſt, dicit *Cel.* Schreber in Linnei *mat. med.* p. 288.

2. *Alliaceus odor*, quem carbonibus ardentibus injectum cum *fumo albo* ſpiret.

3. *Lamina cuprea* ab hoc albo fumo maculas nigras vel albas contrahat.

4. A ſolutione *hepatis ſulphuris* aquæ arſenicali inſtillata; *flavum* decidat *præcipitatum*, quod auripigmenti ſeu arſenici ſulphurati eſt ſpecies. *

Vis noxia. Arſenicum deglutatum ſequuntur ſapor auſterus, exſpuitio frequens, vertigo; labiorum, linguæ, palati, faucium, œſophagi, ventriculi & inteſtinorum ardor, dolor acerbiſſimus; roſio ac inflammatio; febris, ſitis inexſtinguibilis, nauſea, vomitus aſſumptorum, crebri ſingultus, palpitatio cordis, virium defectio ingens; reſpirandi difficultas, anxietates ſummæ, delirium, circulus lividus circa os & oculos; repentina corporis intumeſcentia; manuum ac pedum ſtupor; his accedunt priapiſmus, totius corporis convulſiones, pulſus tardus, inæqualis, cutis pruritus ingens, icterus, maculæ rubræ, fœtor oris, ſuſpiria, mictus cruentus, ſudores frigidi, gangræna aut ſphacelus ventriculi & inteſtinorum ac nonnunquam etiam genitalium; ventriculi & inteſtinorum perforatio aut etiam

* *Cel.* Bergman *opuſc. chemi. Vol.* I. p. 131.

erosio

eroſio ſeu extenuatio talis, ut eorum membranæ quandoque folium papaveris vix ſuperent craſſitie; vomitus & alvi fluxus nigri fœtidi, cadaveroſi; capillorum defluvium, lypothymiæ; horum malorum omnium horrendum agmen plerumque claudit mors, quam epidermidis ſeceſſus & totius corporis putredo ſubito ſequuntur;

Verum qui letho eripiuntur valetudinem deinceps vitream, nonnunquam febre hectica, paralyſi, aliorumve malorum ſerie exaſperatam, trahere ſolent. *

Vis noxia externa. Haud minora pericula circumſtant illos, qui arſenicum extrinſecus variis admovent partibus. Sic amuletum arſenicale pectori applicatum ardorem & anxietatem præcordiorum ac puſtulas nigricantes in medio pectore producebat. Vi tam corroſiva pollet arſenicum, ut foſſorum manus ac pedes nudatos exulceret. Arſenicum butyro mixtum & capiti illitum, febrem, delirium, ſyncopen, totius capitis intumeſcentiam ac celerem mortem intulit. Decocto arſenici duobus militibus corpus ſcabioſum abluebatur; ſcabies quidem hac abluitione evanuit, ſed utriuſque genitalia inflammatio atque intume-

* *Cel.* Cælsi l. c. p. 62.

ſcentia invaſit, quæ cum ingentibus doloribus, febre & vigiliis in gangrænam ſcroti abiit.

Antidota generalia ſunt multus potus aquæ tepidæ, olei, butyri inſulſi, axungiæ porcinæ, adipis non rancidi; gummi tragacanthi, aut arabici aqua ſoluti. His palmam præripit *lac merum* vel quod melius butyro ſociatum. *Oleum ricini. Balnea tepida aquoſa* vel *oleoſa. Hepar ſulphuris; oleum eſſentiale aniſi*, ad ℈j cum ovi vitello & gum. arabico datum. * *Salia alcalina. Terræ abſorbentes. Flores ſulphuris. Extractum martis.* Thermæ *ſulphureæ* & *jus pulorum* ſe commendant, ubi ægri qui mortis diſcrimen evaſere, ſtupore, paralyſi aut convulſionibus vexantur.

Virtus medicata. Uſus *internus* arſenici in febribus intermittentibus atque in cancro commendatur, at præſtat arſenico interne non uti. Uſus *externus* in cancro verrucoſo faciei laudatur. Nempe *Pulvis anticancroſus* Bernardi, ** qui ex arſenico cryſtallino, cineribus calceorum antiquorum combuſtorum, ſanguine draconis, & cinnabari conſtat, ulceri applicatur, ſic trium dierum dolor vehemens & œdema calidum faciei atque totius fere capitis ſequitur;

* *Sammlung für prakt. Aerzte* 5 *B.* 2 *St.* p. 539.

** *Sammlung für prakt. Aerzte* 7 *B.* 3 *St.* p. 512. In *mediciniſchen Wochenblatt für Aerzte und*

ulcus cancroſum laudabili ſupuratione depuratur & emplaſtro Norimbergenſi ſanatur.

ARSENICUM CITRINUM SEU FLAVUM.

ARSENICUM citrinum. Gelber Arſenik. Ex una ſulphuris & decem arſenici albi partibus intime mixtis ope ſublimationis paratur.

ODOR nullus, accenſi vero ſulphureo-alliaceus: SAPOR nullus.

VIS NOXIA, arſenici albi, at ob admixtum ſulphur aliquantum debilior.

ANTIDOTA arſenici albi.

VIRTUS MEDICATA in carcinomate. * Exiguæ lamellæ ex arſenico flavo ulceri cancroſo imponuntur, donec omne cancroſum conſumatur.

ARSENICUN RUBRUM SEU SANDARACA.

ARSENICUM Sandaraca L. *rother Arſenik. Realgar*, ex duabus ſulphuris & novem arſenici albi partibus conficitur. *Arſenicum rubinum*

Wundärzte, 5 *Jahrgang.* 3 *Quartal* p. 444. duæ proſtant obſervationes de cancro faciei hac methodo feliciter ſanato.

* *Schwed. Abhandl. für das Jahr* 1778. *Cel.* RÖNNOW hac methodo viginti ægrotos, cancro tum in labiis tum in laborantes mammis feliciter curaſſe ait. Arſenicum acrimoniæ cancroſæ verum eſſe antidotum & non ſolum vi cauſtica cancrum deſtruere opinatur.

ex anatica ſulphuris & arſenici albi parte conflatur.

Odor nullus; Sapor vix ullus.

Vis noxia arſenici, arſenico citrino vix debilior. Mulier, quæ cum braſſica rubra hujus veneni portionem comedebat intra aliquot horas prægreſſis vehementiſſimis torminibus moriebatur. *

Antidota arſenici.

AURIPIGMENTUM.

Pyrites Auripigmentum L. *Operment; Goldgelb.* Eſt arſenicum plurimo ſulphure mineraliſatum.

Odor nullus, Sapor ſulphureus.

Vis noxia arſenici, at ob copiam ſulphuris admixti minor, adeo ut animalibus ad drachmam unam abſque noxa ingereretur. Sed mulier ab uncia ſemis in cereviſia cocti auripigmenti torminibus, convulſionibus, animi deliquiis, vomitu, dyſenteria, polydipſia, & inexplicabili anxietate in alterum uſque diem corripiebatur. Alia mulier a paucis granis ad curandam febrem deglutitis 30 dies convellebatur. **

Antidota arſenici.

---

* *Ephem. N. C. vol.* V. *obſ.* 102. *p.* 355.

** *Cel.* Gmelin *l. c.* T. 3. p. 136.

Virtus medicata. *Linimentum depilatorium*, quod ex auripigmento & calce viva conſtat, ad pilos exſtirpandos adhibetur. *Collyrium* Lanfranci, quod auripigmentum continet, ad ulcera cancroidea faucium laudatur. *Unguentum terebinthinatum* cum auripigmento in tinea unguium & rhagadibus chronicis manuum atque pedum vidi utile. Ingreditur etiam *liquorem probatorum* vini plumbati.

REGULUS ARSENICI.

Eſt arſenicum ope phlogiſti in formam metalli redactum. *Arſenik-König.*

Vis noxia arſenici at debilior.

Antidota arſenici.

ARSENICUM POROSUM.

Arsenicum poroſum L. *Fliegenſtein. Schwarzer Arſenik. Cobaltum officinarum.*

Vis noxia arſenici at debilior. Aqua cum melle vel ſaccharo & arſenico poroſo infuſa ad muſcas necandas exponitur; infantes inde bibentes quandoque vomitu, cardialgia, & aliis ſymptomatibus imo ipſa morte fuere affecti.

Antidota arſenici.

COBALTUM ARSENICALE.

COBALTUM arſenicale L. *Arſenik-Kobolt.* Eſt cobalti arſenicum continens ſpecies. Cobaltum autem *non arſenicale* venenum non eſt.

VIS NOXIA arſenici ſed multo debilior.

ANTIDOTA arſenici.

Digitized by Google

VENENA HALITUOSA SEU MEPHITICA.

ELENCHUS

VENENORUM HALITUOSORUM.

De venenis halituoſis generatim.

HALITUS ACIDORUM MINERALIUM.

Halitus ſulphuris accenſi, *Schwefeldunſt.*
Aer vitriolicus, *Vitriolſauerluft.*
—— muriaticus, *Salzſauerluft.*
—— nitroſus, *Salpeterſauerluft.*

HALITUS AERIS FIXI.

Aer fixus artefactus, *fixe Luft.*
Aura cavernæ caninæ, *Luft der Hundes-Grotte.*
—— muſti fermentantis, *Luft des gährenden Moſts.*

Aura cereviſiæ fermentantis, *Luft des gährenden Biers.*

—— aquarum acidularum, *Luft der Sauerbrunnen.*

—— ſalium efferveſcentium, *Luft aufbrauſender Salze.*

—— ædificiorum recentium, *Luft friſch getünchter Zimmer.*

—— uſturæ calcis, *Luft der Kalchbrennerei.*

HALITUS ALCALINI.

Aer alcalinus, *alkaliſche Luft.*
Halitus urinæ, *Harndunſt.*
—— cloacarum, *Kloakenkothluft.*

HALITUS PHLOGISTICI.

Aer phlogiſticatus, *phlogiſtizirte Luft.*
—— inflammabilis, *brennbare Luft.*
—— igne corruptus, *durch Feuer verdorbene Luft.*
—— carbonum ardentium, *Kohlenluft.*
—— paludoſus, *Sumpfluft.*
—— luti platealis, *Gaſſenkothluft.*
—— fodinarum metallicarum, *Metallgrubenluft.*
—— —— carbonariarum, *Kohlengrubenluft.*
—— —— ſalinarum, *Salzgrubenluft.*
—— hepaticus, *Schwefelleberluft.*
Halitus rancidus, *ranziger Fettdunſt.*
Fumus ignis incluſus, *eingeſchloſſener Rauch.*

HALITUS PUTRIDI.

Aura animalium putreſcentium, *faule Thierluft.*
—— vegetabilium putreſcentium, *faule Pflanzenluft.*
—— reſpiratione animali corrupta, *durch thieriſchen Aushauch verdorbene Luft.*
—— tranſpiratione animali corrupta, *durch thieriſche Ausdünſtungen verdorbene Luft.*
—— multitudine hominum corrupta, *von Menge der Menſchen verdorbene Luft.*
—— aëris diu incluſi, *langverſchloſſene Luft.*
Aura aquæ corruptæ, *verdorbene Waſſerluft.*
—— cœmeteriorum, *Leichenackerluft.*
—— noſocomiorum, *Spitalluft.*
—— carcerum, *Kerkerluft.*
—— navium, *Schifluft.*
Ventus Samu-el, *Giftwind.*

HALITUS METALLICI.

Halitus arſenicalis, *Arſenikdunſt.*
——— plumbatus, *Bleydunſt.*
——— cupratus, *Kupferdunſt.*
——— mercurialis, *Queckſilberdunſt.*
Fumus cinnabarinus, *Zinnoberrauch.*

HALITUS TERREI.

Halitus gypſi, *Gipsſtaub.*

HALITUS VEGETABILES.

Aer vegetabilium mephiticus, *giftige Pflanzenluft.*
Halitus *peculiaris* quorumdam vegetabilium.
——— Anagyridis, *Stinkbaum.*
——— Dracunculi, *Schlangenwurz.*
——— Juglandis, *Wallnuſsbaum.*
——— Sambuci, *Hollunder.*
——— Santali albi, *weiſſer Santelbaum.*
——— Alceæ moſcatæ, *Muskatellerkraut.*
——— Mancinellæ, *Manchinelbaum.*
——— Cannabis, *Hanf.*
——— Lini, *Lein.*
——— Toxicodendri, *Giftbaum.*
——— Vernicis, *Fiernisbaum.*
——— Dracontii polyphylli, *vielblättriche Zehrwurz.*
——— ——— fœtidi, *ſtinkende Zehrwurz.*
——— Hellebori albi, *weiſſe Nieſswurz.*
Odor *florum* quorumdam.
—— violarum, *Violen.*
—— roſarum, *Roſen.*
—— Liliorum alborum, *weiſſe Lilie.*
—— Caprifolii, *Geiſsblattblumen.*


Odor Polyanthes, *Tuberoſen.*
—— Phaſeoli, *Bohnenblüthe.*
—— Fœni recentis *friſches Heu.*
—— Oleandri, *Oleanderblüthe.*
Odor *aromatum vegetabilium.*
—— caryophyllorum, *Gewürznelken.*
—— Aſæ fœtidæ, *Teufelsdrek.*
—— Ambræ, *Ambra:*
Odor *aromatum animalium.*
—— Moſchi, *Biſam.*
—— Caſtorei, *Bibergeil.*
—— Zibethi, *Zibeth.*
—— Cantharidum, *ſpaniſche Müken.*
Odor *plantarum narcoticarum.*
—— Hyoſciami, *Bilſenkraut.*
—— Stramonii, *Stechapfel.*
—— Opii, *Mohnſaft.*
—— Croci, *Safran.*
—— Tabaci, *Toback.*
—— Lolii temulenti, *Lolch.*
—— Cicutæ, *Wütterich.*
—— Conii maculati, *Schierling.*
—— Fungorum venenatorum, *giftiger Schwäme.*

APPENDIX.

Venena, quorum indoles non nota.

Aqua Toſſana, *Toſſaniſches Giftwaſſer.*
Pulvis Succeſſionis, *Succeſſionspulver.*
Venenum Macaſſarienſe, *Macaſſariſches Gift.*
——— Americanum Ticunas, *amerikaniſches Tikunesgift.*





DE VENENIS HALITUOSIS GENERATIM.

Venena, quæ ſub halitus, vaporis vel aëris forma in corpus noſtrum agunt, *halituoſa* ſeu *mephitica* dicuntur.

Dividuntur in acida, alcalina, phlogiſticata, putrida metallica terrea, vegetabilia & incognita.

Vis noxia. Agunt maximam partem in pulmones, aſphyxiam vel ſuffocationem inducendo. Quædam ſimul nervos olfactorios afficiendo in cerebrum.

Noſcuntur ut plurimum odore ingrato, ſenſatione oppreſſionis & difficilioris reſpirationis.

Medela exigit tranſportationem ægroti in *aërem atmoſphæricum*, eluitionem narium & faciei cum *aqua frigida*, applicationem *remedii antimephitici* & excitationem ſyſtematis nervoſi.

Remedia antimephitica dividuntur

Digitized by Google

in *acida* ut acetum vini, quæ in halitibus alcalinis, putridis, narcoticis, & phlogiſticis,

— *alcalina* ut ſpiritus ſalis ammoniaci, quæ in halitibus acidis.

— *antiphlogiſticata* ut aër atmoſphæricus, aër dephlogiſticatus, aqua frigida, quæ in halitibus phlogiſticatis conveniunt.

HALITUS ACIDORUM MINERALIUM.

HALITUS SULPHURIS ACCENSI.

Eſt fluidum aëriforme ex ſulphure accenſo evaporans. *Schwefeldunſt.*

ODOR ſulphureus, ſuffocans. SAPOR aquæ immiſſi halitus, ſulphureus. *Flama* coerulei coloris.

VIS NOXIA. Majori copia pulmonibus hauſtus hominem & reliqua animantia, canibus forte exceptis * celerrime ſuffocat, ut incruenta mors phaſanorum docet, quorum ori vapor accenſi ſulphuris admovetur. Ubi vero is mi-

* *Cel.* BROWNE LANGRISCH in *phyſical experiments opon bruter.* Lond. 1746. Canibus vapor ſulphuris non nocuit. Sed elephantem necabat, LINDESTOLPE *liber de venenis* 1739. p. 103.

nori copia inſpiratur, tuſſim, ſternutationem, * raucedinem, capitis dolorem, lippitudinem, diarrhæam, dyſenteriam, aſtma, ** peripneumoniam, hæmoptiſim, & phthyſim inducit.

Vina multum *ſulphurata* morbos fere eosdem producunt. Vide *Bromatologiam*.

Antidota ſint antialcalina.

Virtus medicata. Veſtimenta fumo ſulphuris imbuuntur ad curandam peſtem, ſcabiem, arthritidem. Dolia ſulphuris fumo replentur, ut vina a fermentatione arceantur. Fumus ſulphuris eſt fortiſſimum excitans in aſphyctis.

---

* *Cel.* Ramazzini hiſtoriam refert mœchæ mulieris, quæ cum amaſium ſuum, marito ſuperveniente, ſub lecto abſcondiſſet, ſuperimpoſito velamine ſulphurato, ſe ipſam prodidit, ille enim ſulphuris odore percitus non potuit, quin alte tuſſiret & ſternutaret.

** *Ill.* Van Swieten inſanabili aſtmate laborantem vidit civem, qui in juventute apud œnopolam habitans jubebatur aperto ingentis dolii ſulphuris vapore repleti ſpiraculo, olfacere: miſer ille valide naribus attraxit infeſtum hunc vaporem, mox concidit, atque aliquot horis cum morte luctatus evaſit quidem, verum tota vita manſit aſtmaticus, & nunquam ſomnum capere potuit, niſi erecto corpore in ſedili hæreret.

AER VITRIOLICUS.

Aëriforme fluidum ex *acido vitrioli* volatiliſato conſtans. *Vitriolſauerluft.*

Odor ſulphureus, ſuffocans. Sapor aquæ immiſſi halitus, acidus.

Vis noxia. Chemici, quibus vaſa ſub deſtillatione acidi vitriolici diſſiliunt aut qui ejus vaporem incaute inſpirant, hoc halitu inficiuntur. Inducit ſuffocationem & mala accenſi ſulphuris.

Antidota alcalina. *

Virtus medicata. Corrigit aërem putridum.

AER MURIATICUS.

Fluidum aëriforme ex *acido ſalis* volatiliſato conſtans. *Salzſauerluft.*

Odor croceus; Sapor halitus aquæ immiſſi acidus.

Vis noxia præcedentis. Quibus vaſa ſub acidi muriatici deſtillatione rumpuntur, hoc halitu afficiuntur.

Antidota præcedentis.

Virtus medicata antiſeptica.

---

* *Ill.* Boerhaave vix non ſuffocatus periiſſet ex hoc vapore, ſi ipſi ſpiritus ſalis ammoniaci ad manus non fuiſſet.

AER NITROSUS.

Fluidum aëriforme ex *acido nitri* volatiliſato. *Salpeterſauerluft.*

Odor acidi nitroſi. Sapor halitus aquæ commiſſi acidus, nitroſus.

Vis noxia. Inducit tuſſim, ſuffocationem, cataractam. * Chemici & artifices, quibus ſub deſtillatione ſpiritus nitri vel aquæ fortis vaſa diſſiliunt hoc halitu afficiuntur.

Antidota præcedentis.

Virtus medicata antiſeptica.

HALITUS AERIS FIXI.

AER FIXUS.

Fluidum aëriforme ex ſpecifico acido conſtans, ex creta vel ſpatho calcareo ope adfuſi ſpiritus vitrioli diluti expulſum. *Fixe Luft. Acidum aëreum. Luftſaure.*

Odor nullus. Sapor aquæ immiſſi aëris acidulus. Aquam calcis *præcipitat*, *flammam* candelæ exſtinguit.

---

* *Cel.* Szen *diſſ. de cataracta ab effluviis aquæ fortis orta* 1774. *Jenæ.*

Vis noxia. Dum animal vaſi vitreo includitur, & vitrum dein aëre fixo impletur, ſequentia phœnomena in morituro animali obſervantur. *

1. Dum fatalis irruit aura mox animal anxie circumſpicit, exitum quærens, dein incipit anhelare, bulbi oculorum expanduntur, tremit, omnes hebeſcunt ſenſus, tandemque quaſi obdormiens exſpirat.

2. *Aves* plerumque prius quam *canes* & hi citius quam *felles* ſuccumbunt, diutius vero *amphybia* & pertinaciſſime *inſecta* reſiſtunt. Reſpectu ætatis animalia juniora paullo ſegnius enecantur; præſertim paullatim adſuefacta; nam quæ in ipſo agone, libero expoſita aëri pluries vitam recuperarunt, dein tardius hoc fluido pereunt, quam quæ illud prima vice hauriunt.

3. Poſt mortem *pulmones* parum collapſi reperiuntur, in aqua non ſubſident, uti in vacuo pereuntium, ſed natant, & ſæpe plura monſtrant loca inflammata.

4. Truncus *arteriæ pulmonalis*, *cordis* ventriculus dexter cum ſua auricula, vena ca-

---

* *Ill.* Bergman *opuſc. chem. & phyſic. Vol.* I. p. 65.

va, jugulares & vaſa cerebri ſanguine turgent, isque in ventriculo dextro polypi inſtar non ſemel concretus fuit viſus. Venæ pulmonales, aorta, ventriculus cordis ſiniſter cum ſua auricula plerumque flacceſcunt.

5. *Fibrarum muſcularium* in toto corpore deleta reperitur *irritabilitas.* Ipſum cor ex animali adhuc calente extractum, nec halitu, nec ſcalpello, nec acido vitrioli concentratiſſimo ad motum excitari potuit.

6. Eadem phænomena in hominibus aëre fixo mortuis obſervantur. Mirum eſt aërem huncce pulmonibus eſſe atrociſſimum venenum, impune tamen hocce cum muſto fermentante vel aqua acidula ventriculo poſſe ingeri.

ANTIDOTA. Expoſitio ægroti in aërem atmoſphæricum; applicatio ſpiritus ſalis ammoniaci, cujus odor penetrans naribus & ori ut pulmones intret, admovetur.

VIRTUS MEDICATA, antiſeptica, irritabilitatem minuens. * Acidulæ maximam virtutem ab hoc aëre habent.

---

* Vide *Pharmacologiam chirurgicam* p. 265. & *Cel.* DOBSON *Abhandl. über die Kräfte der Fixen Luft, Leipzig* 1781.

AURA CAVERNÆ CANINÆ.

Eſt aër fixus, qui fundum famoſæ cavernæ, *Grotta dei cani* dictæ, quæ in Italia Neapolim inter & Puteolum invenitur, ad aliquot pedum altitudinem replet. *Hundsgrottenluft*, quia in canibus frequentiſſime explorata fuit ejus necandi vis.

Vis noxia. Canes & cuncta animalia fundo hujus cavernæ immiſſa illico necantur, adeo ut vel mortui vel ſaltem aſphycti ex ea extrahuntur.

Antidota aëris fixi.

AURA MUSTI FERMENTANTIS.

Eſt aër fixus, qui e doliis muſti fermentantis extricatur & celaria tempore vindemiarum replet. *Moſtgährungsluft*.

Noſcitur aëris fixi in celari præſentia, ſi flamma candelæ ope perticæ celari immiſſa exſtinguatur.

Vis noxia præcedentis

Antidota aëris fixi, aſphycti ope hamorum ligneorum e celaribus caute extrahantur.

AURA CEREVISIÆ FERMENTANTIS.

Eſt aër fixus, qui ſuperficiem cereviſiæ in receptaculo aperto fermentantis ad pedis altitudinem tegit. *Biergährungsluft*.

Vis noxia præcedentis.

Antidota eadem.

Virtus medicata. Aqua ope vaſorum in atmoſphæra aëris fixi refuſione repetita agitata, poteſt reddi *acidula*.

AURA AQUARUM ACIDULARUM.

Eſt aër fixus, qui e ſuperficie aquarum acidularum exhalat. *Sauerbrunnenluft.*

Vis noxia. Foſſa *Pyrmontana* vapore adeo funeſto repletur, ut anates innatantes aquæ & ſupra fontes oberrantes interficiantur & animalia majora in ſuffocationis periculum inducuntur.

Antidota aëris fixi.

Virtus medicata aquarum acidularum maximam partem a contento in illis aëre fixo pendet.

AURA SALIUM EFFERVESCENTIUM.

Eſt aër fixus, qui ſub efferveſcentia ſalium extricatur. *Luft aufbrauſender Salze.*

Vis noxia præcedentis.

Antidota eadem.

Virtus medicata. Sal abſynthii cum ſucco citri ſub actu efferveſcentiæ hauſtum eſt antiemeticum.

AURA ÆDIFICIORUM RECENTIUM.

Aer, qui in ædificiis noviter exſtructis aut recenter dealbatis, recluſa præſertim atmoſphæræ communicatione, cubilia implet. *Luft neugetünchter Zimmer.*

Vis noxia. Inducit anginam * capitis dolorem, anxietatem, aphoniam, ** debilitatem paralytoideam, quandoque mortem.

Antidota. Fuga e cubiculo noxio, ſpiritus ſalis ammoniaci, irritatio faucium ad vomitum.

AURA USTURÆ CALCIS.

Eſt aër fixus ignifer, qui e furno uſtulatorio calcis emanat. *Kalchbrennereyluft.*

Vis noxia. Mater atque duæ proles ſuffocabantur, cum aër fixus per apertam anguſti cubiculi portam de nocte ex vicina calcis uſtura

---

* *Ill.* Hoffmann *med. rat. ſyſtem.* T. II. p. 297. Tres infantes, qui in cubiculo ante aliquot dies noviter dealbato aliquot noctibus dormiebant, angina intra biduum rapiebantur.

** *Cel.* Stenzel *de venenis* 1739. p. 93. Duo fratres in cubiculo, quod prima vice calefiebat, dormientes, capitis dolore, aphonia & tanta corripiebantur debilitate crurum, ut ſe lecto movere non valerent, at ſubſecuto vomitu ſpontaneo ſani evadebant.

penetraret. * Duæ feminæ quæ juxta calcis uſturam dormiebant ſuffocatæ inveniebantur.

Antidota præcedentis.

HALITUS ALCALINI.

AER ALCALINUS.

Eſt aër, qui evolvitur e ſalibus alcalinis volatilibus, dum caleſiunt, vel e ſale ammoniaco, ſi cum calce viva vel minio deſtillatur. *Alkaliſche Luft.*

Vis noxia. Animalia huic aëri incluſa pereunt. Odor hominibus ſternutationem & oculorum pruritum inducit, pulmones minus afficit, quam aëres acidi. Chemici ſub deſtillatione ſpirituum urinoſorum, ſi vaſa diſſiliunt, hoc halitu alcalino afficiuntur.

Antidota. Acetum vini, quod ſummum eſt antimephiticum antialcalinum, naribus & ventriculo aplicatum.

HALITUS URINÆ.

Eſt halitus alcalino-phlogiſticatus, ex urina ſputreſcente exhalans. *Harndunſt.*

* *Cel.* Plencız *Acta & obſervata medica* p. 183.

Vis noxia. Aër in cubilibus orphanotrophiorum a ſiccatione linteorum ab urina infantum conſpurcatorum, teterrimum ſpargit odorem urinoſum qui oculos rubefacit & tuſſim inducit. An inde infantum febris miliaris, aphthoſa & necroſis buccarum atque genitalium? qui morbi in orphanotrophiis ſordidis tot neonatos rapiunt.

Antidota. Munditiės cubilium, irroratio pavimentorum & linteorum cum aceto vini, cujus pars una cum quatuor aquæ miſcetur. Hoc antidotum momento citius odorem urinoſum delet.

HALITUS CLOACARUM.

Eſt halitus alcalino-phlogiſticatus, qui e fœcibus cloacarum ſeu latrinarum exhalat. *Kloakenkothluft.*

Vis noxia. Teter cloacarum odor oculos rubore afficit & obnubilat. Foricarii ſi per quatuor horas latrinis expurgandis incumbunt, niſi per 24 horas oculos a luce avertant & aqua tepida abluant, cœci evadunt. * Alii in latrinarum cavernis intra pauca minuta aſphyčti vel mortui concidunt.

Antidota. Primarium eſt acetum vini. *Antime-*

---

* *Cel.* Ramazzini *morbi artificum* c. 13.

phiticum JANINI * quod ex unciis ſex aceti vini & uncia una ſpiritus lavendulæ conſtat, latrinæ infuſum momentaneam & ad aliquot dies durantem fœtoris ſtercoracei ceſſationem efficit. Aſphyctis ex cloacarum fœtore nares cum aceto vini eluantur, unum vel alterum cochleare ejusdem ventriculo ingeratur, facies, & totum corpus aceto abluatur. Aër *caſtrenſis* a patulis latrinis infectus infuſo in latrinas aceto, multum emendari poteſt.

HALITUS PHLOGISTICI.

AER PHLOGISTICATUS.

Eſt fluidum aëriforme maximam partem ex phlogiſto conſtans. *Phlogiſtizirte Luft.*

VIS NOXIA. Flammam exſtinguit, & animalia huic aëri incluſa necantur.

ANTIDOTA. Transportatio in atmoſphæram frigidam, ablutio faciei, narium & totius cor-

---

* *Cel.* JANIN *Vorſchlag, die ſchädlichen und tödtlichen Ausdünſtungen und Dünſte der Kloake, den verderbten Geruch der Gaſſen, der Krankenhäuſer, der Kriegsſchiffe unſchädlich zu machen.* Vide *Cel.* SCHERF *Archiv der mediciniſchen Polizey* I. *Band* p. 203.

poris cum aqua frigida. Inflatio aëris dephlogiſticati, applicatio aceti.

AER INFLAMMABILIS.

Eſt aër, qui admota candela flammam concipit. *Brennbare Luft.*

VIS NOXIA. Animalia huic aëri incluſa moriuntur.

ANTIDOTA præcedentis.

VIRTUS MEDICATA. Vide *Balneum ferri granulati* in Pharmacologia chirurgica.

AER IGNE CORRUPTUS.

Eſt aër, in quo candela deflagravit, partim phlogiſticatus, partim fixus eſt. *Durch Feuer verdorbene Luft.*

Relinquitur denique ex accenſa *miſcela* aëris inflammabilis & reſpirabilis, atque ex aëre, qui *fulmine* & *electricitate* & deflagratione *phoſphori* corrumpitur. Ejuſdem indolis eſt aër, qui cavernam *Veſuvii* circumfluit.

VIS NOXIA. Animalia huic aëri incluſa ſuffocantur, vel aſphycta redduntur.

ANTIDOTA. Ab initio alcalina dein antimephitica antiphlogiſtica.

AER CARBONUM ARDENTIUM.

Eſt aër fixo-phlogiſticatus, qui e carbonibus vel lithantracibus exhalat. *Kohlenluft. Steinkohlenluft.*

Vis noxia. Inducit capitis dolorem, aſphyxiam vel mortem.

Antidota. Transportatio in aërem atmoſphæricum, lavatio totius corporis cum aqua frigida. Applicatio ſpiritus ſalis ammoniaci * ad nares, & guttulæ quædam ad os.

AER PALUDOSUS.

Eſt aër maximam partem inflammabilis, qui e paludum fundo lutoſo, ſi bacculo perfodiatur, bullatum forma aſſurgit. *Sumpfluft.*

Vis noxia. Febres inducit intermittentes vel remittentes putridas, malignas. **

Antidota. Acetum vini. Infuſum florum arnicæ cum cortice peruv. in febre paludoſa valde proficuum inveni. Exſiccatio vel procuratio motus aquæ paludoſæ.

---

* *Cel.* Sage *Erfahrungen daſs der flüchtige Salmiak-Geiſt das wirkſamſte Mittel ſey, Erſtickte wieder zu erwecken*, p. 27.

** *Cel.* Lancisius *de noxiis palud. effluviis l.* II. quinque diſtinctas epidemias perniciosarum, caſtrenſium febrium, quæ diverſas Pontificiæ ditionis urbes pene vaſtarunt deſcribit, omnes a ſtagnante aquoſo latice, æſtivis caloribus corrupto & putido reddito excluſas. Vide *Cel.* Tralles *vera patrem patriæ ſanum & longævum præſtandi methodus* p. 106. &c.

AER LUTI PLATEARUM.

Eſt aër, qui e luto platearum in acervos congeſto emanat. *Gaſſenkothluft.*

Vis noxia præcedentis.

Antidota. Calx viva in cremorem ope aquæ diluta acervis luti adfundatur. Sic fœtor luti ceſſat. Lutum hocce calce mixtum agros valde fœcundat. *

AER FODINARUM METALLICARUM.

Eſt aër noxius, qui in fodinis metallicis ſubito quandoque erumpit. *Metallgrubenluft. Mephitis fodinarum. Giftſchwaden böſer Wetter* a metallifoſſoribus dicitur.

Eſt quandoque *inflammabilis* & tonitruans. Quandoque vero *flammam extinguit*, hinc aër fixus vel phlogiſticatus. Quandoque *arſenicalis* eſt.

Vis noxia. Aëris phlogiſticati vel fixi vel inflammabilis.

Antidota varia pro diverſitate mephitidis.

AER FODINARUM CARBONARIARUM.

Eſt aër, qui in fundo minerarum lithantracum, ſi hæ ignem concipiant, obſervatur. *Kohlengrubenluft.*

---

* *Cel.* Janin l. c. p. 231.

Vis noxia. Aſphycti vel mortui extrahuntur, qui in tales fodinas deſcendunt.

Antidota carbonum ardentium.

AER FODINARUM SALINARUM.

Eſt aër, qui fodinas ſalinarum quandoque replet. *Salzgrubenluft.*

Vis noxia præcedentis.

Antidota præcedentis.

AER HEPATICUS.

Eſt aër, qui ex hepate ſulphuris affuſis acidis, præter nitroſum, quibuslibet, obtinetur. *Schwefelleberluft.*

Hoſpitatur præterea in aquarum mineralium ſulphuriferarum effluviis, *odorem* habet ovi putridi. *Conſtat* ex ſulphure per phlogiſton & materiam caloris volatiliſato.

Vis noxia. Animalia huic aëri incluſa ſuffocantur.

Antidota aëris phlogiſticati.

HALITUS RANCIDUS.

Eſt halitus qui ex oleo vel pinguedine rancida vel igni impoſita emanat. *Ranziger Fettdunſt.* Conſtat ex phlogiſto & acido pinguedinis.

Vis noxia. Oculorum ruborem in aëre libero inducit. Animalia huic halitui incluſa pereunt. Oleum napi in uſum lampadum a plebe adhibitum, ardens fuligine ſua gravat pectus & ſuppellectilem inquinat, ſtupaque dum exſtinguitur, graviter fœtet. Puer moriebatur, dum ipſius naribus a petulanti ſuo ſocio fumus exſtinctæ candelæ inflaretur.

Antidota præcedentis.

FUMUS IGNIS INCLUSUS.

Fumus e ligno ardente emanans, maximam partem ex aqua, phlogiſto & acido ligni conſtans, in cubiculo quodam incluſus. *Eingeſchloſſener Holzrauch.*

Vis noxia oculis inducit ruborem. Homines & animalia ſuffocat.

Antidota. Renovatio aëris, antidota aëris phlogiſticati.

Virtus medicata. Ad piſces & carnes infumandas.

HALITUS PUTRIDI.

AURA ANIMALIUM PUTRESCENTIUM.

Eſt halitus, qui ex animali putreſcente exit. *Faule Thierlüſt.*

Vis

Vɪs ɴoxɪa. Vapores fœtidi cadaverum malignas excitant febres putridas. Sola cadaverum nimia conſuetudo multos ante diem abſtulit anatomicos. * Si cadavera militum poſt prælia non cito inhumentur, febres putridæ pagorum vicinorum incolas epidemice devaſtant.

Aɴᴛɪᴅoᴛa. Acetum vini & antiſeptica.

AURA VEGETABILIUM PUTRESCENTIUM.

Eſt aër putridus, qui e vegetabilibus putreſcentibus emanat. *Faule Pflanzenluſt.*

Vɪs ɴoxɪa. Acervi braſſicæ putreſcentis & tabeſcentes cumuli muſcorum margaritiferorum putridas fere excitarunt febres.

Aɴᴛɪᴅoᴛa præcedentis.

AURA RESPIRATIONE ANIMALI CORRUPTA.

Aër e pulmonibus hominis vel animalis reſpirantis exhalans. *Ausgeathmete Luft.*

Conſtat aër exſpiratus ex aëre phlogiſticato, aëre fixo & aëre putrido.

Vɪs ɴoxɪa. Animalia aëri exſpirato incluſa pereunt. Flamma exſtinguitur. Caro diu aſpi-

---

* *Ill.* Hᴀʟʟᴇʀ *de præcip. corp. hum. part.* T. III. p. 155. dicit: memini proprii morbi miliaris & innumerabilium fere febrium continuarum, quas Gottingæ paſſus ſum, cum inter cadavera ſex fere menſibus in annum viverem.

rata citius putreſcit. Halitu phthiſici hominis muſcæ interemptæ fuere. Fœtidiſſima rachiticæ puellæ anima aviculam occidit. *

ANTIDOTA præcedentis.

AURA TRANSPIRATIONE ANIMALI CORRUPTA.

Eſt aër e cute hominis vel animalis exhalans. *Luft der Hautausdünſtung*.

VIS NOXIA. Aqua cadi in quo homo etiam ſaniſſimus balneavit, intra aliquot horas fœtebat, quod deſignat aërem putridum aquæ communicari. Aer e ſuperficie corporis noſtri egrediens flammam candelæ exſtinguit & animalia in eo vix uno momento ſupervivunt. **

ANTIDOTA præcedentis.

AURA AB HOMINUM MULTITUDINE CORRUPTA.

Eſt aër, a nimia hominum copia in cubiculo anguſto concluſorum corruptus.

VIS NOXIA. Nimius hominum numerus in eodem cubiculo aërem dephlogiſticatum ſeu *principium vitale* in aëre latens, pulmonibus perpetuo abſorbet & aërem atmoſphæræ phlo-

---

* *Ill.* HALLER *l. c. p.* 155.

** *Perill.* INGEN - HOUSZE *experiences ſur les vegetaux.*

giſticatum relinquit. Inde anxietas, reſpiratio difficilis, languor, animi deliquium, aſphyxia, mors. Nota eſt anglorum in nigra caverna incluſorum ſors, in quo ex 146 in exiguo atque ubique clauſo carcere intra unicam noctem tempeſtate calida exiſtente 123 moriebantur. Oxfordii 300 homines, qui in exiguo cubiculo judicio criminali auſcultabant, ſubita morte rapiebantur. Ovium magnus numerus in nimis exiguo ſtabulo incluſarum cito peribant. *

Antid. Admiſſo aëris atmoſphærici dephlogiſticati.

AURA AERIS DIU INCLUSI.

Eſt aër atmoſphæricus diu in loco quodam recluſo ſtagnans. *Lang verſchloſſene Luft.*

Aer diu in cubilibus, granariis, puteis, fodinis, carceribus, ciſtis aliisve receptaculis incluſus huc pertinet.

Vis noxia. Aer ut aqua diu ſtagnans corrumpitur. Homines hunc aërem ſubito haurientes anxii, difficulter reſpirantes redduntur, & aſphycti vel mortui in eo concidunt.

Antidota. Aeris incluſi expulſio ope admiſſi aëris atmoſphærici. Acetum vini.

AURA AQUÆ CORRUPTÆ.

Eſt aër, qui ex aqua diu ſtagnante exhalat. *Verdorbene Waſſerluft.*

* *Cel.* Gmelin l. c. I. Th. p. 239.

Vis noxia. Inducit febres putridas, petechiales, quæ poſt domuum inundationes, ſi non cito & bene purgentur, ſæpius obſervantur. Quandoque ex ſolo vapore aquæ putridæ mors adnotata. *

Antidota. Acetum vini. Exſiccatio & purgatio cubilium. Aqua fontana, quæ in doliis aſſervatur ut in navigationibus ad duos annos a putredine præſervatur, ſi cuilibet menſuræ aquæ 14 guttæ olei vitrioli addantur. **

AURA COEMETERIORUM.

Eſt aër, qui e cadaveribus hominum vel animalium non bene ſepultorum in cœmeteriis & catacumbis exhalat. *Leichenackerluſt.*

Vis noxia. Nauſeam, vomitum, capitis dolorem, animi deliquium, aſphyxiam, febrem putridam *** morbos epidemicos quibus ſepulti

* *Ill.* Sauvages *Effets de l'air* p. 54. & *Cel.* Platneri *diſſ. de peſtiferis aquarum putreſcentium exhalationibus.* Ex ſtagnationibus aquarum poſt copioſas pluvias & inundationes ſuperſtitibus pertinaciſſimas tertianas enatas obſervavit Ramazzini *Miſc. N. C.* Dec. II. anno IX.

** *Neue Schwed. Abhandl.* 2 B. p. 234. *Cel.* Faxe *Verſuch, Waſſer auf der See durch Vitriolſäure vor Faulniſs zu bewahren.*

*** In *Gazette ſalutaire* N. 25. & 26. plures funeſti hujus rei narrantur caſus. In urbe *Talento* veſpillones foſſam pro defuncto non ſatis profundam

moriebantur ut variolas, peſtem & mortem inducit. *

---

fécerunt; feretrum itaque obtegebant terra, quam pedibus comprimebant. Paucis diebus poſt exhalationes cadaveroſæ ex ſepulchro emanantes templum ſenſim ita adimplebant, ut illud derelinqui deberet. Conſilium capiebatur corpus exhumandi. E tribus veſpillonibus, qui hanc translationem in ſe ſuſcipiebant, duo inſigniter vomebant, tertius in febrem incidit & 10 vel 12 diebus poſt moriebatur.

In vico *Saulieu* in templo aperiebatur ſepulchrum pro ſepelienda muliere febri putrida defuncta. Veſpillones detegebant feretrum cadaveris, quod ante ſex hebdomadas ſepeliebatur. Cum femina foſſæ mandaretur, ipſius & alterum feretrum aperiebatur, illico odor adeo fœtidus oriebatur, ut omnes, qui aſſiſtebant, exire cogerentur. Inter 190 homines, 114 graviter ægrotabant, ſicuti etiam prædicator, vicarius & veſpillones. Interim ultra 18 ex toto hoc numero mortui non ſunt, inter quos prædicator & vicarius primi e medio tollebantur.

* In Diario anglicano ſeu *London Magazin menſe Sept.* 1752 memorabilis proſtat hiſtoria: Veſpillo aperiebat ſepulchrum in quo ante 30 annos vir quidam variolis defunctus ſepultus erat, percuſſo operculo feretri extemplo odor fœtidus exiit. Paucis diebus poſt 14 ex adſtantibus variolis corripiebantur & omnes incolæ hujus pagi hunc morbum nondum paſſi duobus exceptis decubuerunt. Notabile eſt variolas omnia oppida, quorum incolæ ſepulturæ adfuerunt, invaſiſſe.

ANTIDOTA. Sepultura mortuorum non tantum in eccleſiis ſed etiam in cœmeteriis circa muros civitatis plane prohibeatur. Et locus pro cœmeterio ad quadrantem horæ a civitate diſtans, ſat amplus, aëre perflatus, arboribusque, quæ miasma putridum abſorbent, hinc inde circumvalatus aſſignetur,

Cadavera in feretro ad ſex pedum profunditatem inhumentur & feretrorum apertura atque oſſium corruptorum exemtio & diſpoſitio in oſſilegium ad 50 annos plane interdicatur. Si vero locus quidam revera jam odore cadaveroſo impletus eſſet, aëris atmoſphærici perflatio, effuſio & evaporatio aceti & aëris vitriolici vel muriatici adhibeatur.

AURA NOSOCOMIORUM.

Eſt aër, qui in noſocomiis ſordidis obſervatur. * *Spitalluft.*

Cauſæ aërem in noſcomiis noxium reddentes in *producentes* & *adjuvantes* dividuntur.

Producentes ſunt

1. *Tranſpiratio ægrorum morboſa* ſeu putrida febricitantium.

---

* *Cel.* NAHUYS *diſſ. de qualitate noxia aeris in noſocomiis & carceribus ejusque remediis. Harlemi* 1770.

2. *Alvi excrementa*, præſertim diſenterico-rum, febri putrido bilioſa, aut diarrhæa colliquativa laborantium, in cubilibus diu relicta. Idem fit ſi januæ latrinarum in cubilia ægrorum ſe aperiant.

3. *Ulcera fœtentia*, *vulnera* multum *ſuppurantia*, præſertim partes *gangrænoſæ*, *urina*, *ſanguis corruptus*, *ſputa phthiſicorum*, *imundities* lectorum, cortinarum, induſiorum, apparatus purulentus ulceroſorum &c. quæ cauſæ aërem putridum exhalant.

4. *Nimius ægrorum numerus* in eodem cubiculo, qui perpetuo aërem dephlogiſticatum ſeu *principium vitale* in aëre latens pulmonibus abſorbent & aërem phlogiſticatum relinquunt.

5. *Nimius calor cubiculorum*, qui aërem putridum activum reddit

ad cauſas *adjuvantes* refertur

1. *Noſocomii ſitus* aliis undique domibus vel magnis ædificiis arboribusve denſe locatis circumdatus, ita ut venti & aëris liber acceſſus impediatur. Vel noſocomii ſitus ad pedem montis, quo aëris acceſſus denegatur.

2. *Cubicula ægrorum nimis anguſta nec alta ſatis.* Inde idem fit, ac ſi nimius ægrorum numerus in cubiculo majori locetur.

3. *Januarum & feneſtrarum cubiculi* nimia parvitas, quo aëris renovatio ſatis libere fieri nequit.

4. *Rara nimis pavimentorum lavatio*, qua ſordes putridæ in pavimentis remanent.

5. *Rara nimis lectorum & ſtragulorum renovatio.* Aut ægroti *depoſitio in lectum*, ſuper quo ægrotus febre putrida laborans mortuus eſt vel decubuit. Etiam *cortinæ lectorum* aërem putridum retinendo valde in noſocomiis nocent.

Vis noxia. Acr putridus noſocomialis

1. *Morbos leviores ſæpe in graviſſimos imo lethales mutat.* Variolæ benigniſſimæ, alvi fluxus innocui, febres leviores in civitate cito & faciles curatu in aëre noſocomico iisdem remediis & ab iisdem medicis tractati in malignas febres petechiales cum diarrhæa colliquativa ſtipatas abeunt. * Ulcera leviora, quæ aliis in locis facillime curantur in noſocomiis ſæpe incurabilia manent. Quoties non ulcera & vulnera ab aëre putrido noſocomii in gangrænam abeunt.

* Cel. Nahuys l. c. p.

2. *Novos producit morbos*, Aer noſocomialis ſaniſſimos homines diu in noſocomio degentes febre putrida noſocomiali vel diarrhæa putrida afficit. Quandoque contingit, ſi unus & alter febre putrida vel dyſenteria decumbens noſocomio inferatur, ut ex improviſo hi morbi in noſocomio graſſari incipiant.

3. *Longam reddit ægrorum convaleſcentiam*, ægroti enim debiles in aëre putrido diu adhuc languent vel a leviſſima cauſa accedente ſæpe pejus quam ante decumbunt.

Antidota. *Excrementa* morboſa adfuſo vini aceto vel antimephitico *Janini* cito auſſerantur. Aegroti morbo putrido laborantes a reliquis ægris in peculiaria & diſſita cubilia *ſeparentur*. Evitentur, quantum fieri poteſt, cauſæ aërem putridum *producentes*, *adjuvantes* vel *retinentes*. Ventilatoribus, & *machina Suttoniana correcta* aër cubiculorum aliquoties de die *renovetur*. Singulis diebus pavimentum aliqua aceti portione *irroretur*, vel ollæ aliquot aceto plenæ prunis imponantur ardentibus, ut ſic aceti vapor aſſiduo per noſocomium *diſpergatur*.

AURA CARCERUM.

Eſt aër atmoſphæricus a ſquallore carceris corruptus. *Kerkerluft*.

Cauſæ aërem in carceribus depravantes ſunt perſpiratio captivorum, excrementorum & urinæ depoſitio in ipſo carceris cubiculo. Sordes putridæ pavimenti, carcerum ſitus profundus ſub terra, quo ſitu omnis aëris renovatio prohibetur; humiditas parietum, qui carcerem conſtituunt; nimia carceris anguſtia, feneſtris lateralibus deſtituta; vel nimia copia captivorum, qui principium vitale ex aëre abſorbent; neglecta mundatio carcerum, neglecta renovatio veſtium & ſtramentorum.

Vis noxia. Morbi, quibus captivi ab aëre putrido, humido, & frigido carceris vexantur, ſunt febres malignæ * peſſimis ſtipatæ ſymptomatibus & dyſenteriæ putridæ. Captivi vero, qui acutis his non corripiuntur morbis, febre lenta, hydrope & ſcorbuto pereunt.

Antidota. Conſtructio carcerum ſupra ſolum elevatorum, dein adhibeantur, quæ in aëre noſocomiali laudavimus.

AURA NAVIUM.

Eſt aër atmoſphæricus a ſorditie navium corruptus. *Verdorbene Schifluft.*

---

* Aer ventilatoris, qui carcerem repurgabat proprius receptus & hauſtus pernicioſiſſimam febrem civit. *Ill.* Pringle *phil. Trans. n.* 48.

Vis noxia. Etiamſi aër marinus multo purior & ſalubrior ſit aëre rurali, in cubiculis tamen navium majorum a diuturna aëris ſtagnatione, ab exhalatione putrida aquæ ſtagnantis, a tranſpiratione & reſpiratione copioſorum hominum in anguſtis cubilibus recluſorum putridus evadit, inde febris putrida *navalis*, ſcorbutis & alii morbi putridi navigantium.

Antidota. Aeris perpetua renovatio ope *machinæ Suttonianæ*. * Mundatio loculamentorum & cubilium, irroratio cum aceto vel antimephitico *Janini*.

VENTUS SAMU-EL.

Eſt ventus venenatus, qui in Perſia, Arabia, Aegypto quandoque obſervatur & homines ſubito necat, *Der Giftwind*.

* Hujus machinæ effectus tantus fuit, ut in illa nave, in qua prima vice hæc machina tentabatur, duo tantummodo morerentur homines, dum antea in ſimili itinere fere dimidium nautarum peribat, vel ſaltem periculoſiſſime decumbebat; atque egregius ille effectus poſtea ſemper conſtans repertus eſt, ita quidem ut Hollandi atque Sueci ſimiles ſuis in navibus conſtruentes machinas longe minorem habuerint ægrorum atque mortuorum numerum, & totus navis aër ejus ope tam bene depuratus fuit, ut vix aliquem odorem ingratum etiam in profundiſſima navis parte, ubi alias vix per momentum morari licuit, animadverterint nautæ. *Cel.* Nahuys. *l. c.* p. 130.

Vis noxia. Continuo putreſcunt viatores, quos ventus Samu-el percuſſit, adeo ut membra tracta manum ſequantur * niſi ſe humi proſternant aut domibus bene includant.

HALITUS METALLICI.

HALITUS ARSENICALIS.

Eſt halitus arſenicum volatiliſatum continens. *Arſenikdunſt.*

Qui in *fodinis* arſenicalibus laborant, aut arſenicum e ſuis mineris ſublimant, vel arſenici diu incluſi halitum *naribus* attrahunt, halitu arſenicali afficiuntur.

Vis noxia. Animi deliquium, ſuffocationem, aſtma, cardialgiam, vomituritionem, vertiginem, capitis dolorem, crurum dolorem, anxietatem inducit. E fodiuis promontorii bonæ ſpei halitus arſenicalis *Giftſchwaden* exhalans omnia, quæ propinquant animalia, interficit.

Prophylaxis. In *fodinis* arſenicalibus aëris bona perflatio procuretur. *Labores* arſenicales in laboratoriis bono camino inſtructis peragantur. *Diæta* ſit pinguis ex butyro, pingue-

---

* *Cel.* Chardin *voy. en Perſe T.* IV. *p.* 22. & *Cel.* Thevenot *voy.* T. III. L. 1. p. 10. & T. II. L. 1. p. 12.

dine anſerina, lardo, lacte. * Spiritus *alcalinus* ſæpius ori & naribus admoveatur & guttulæ aliquot degiutiantur.

ANTIDOTA lac, alcalina, oleum blandum & oleum eſſentiale aniſi. V. *arſenicum.*

HALITUS PLUMBATUS.

Eſt halitus plumbum volatiliſatum continens. *Bleydunſi.*

Vapore plumbeo afficiuntur, qui in *fodinis* minerarum plumbiferarum laborant, aut plumbum e *mineris* excoquunt. ** Vel in cubilibus co-

* *Cel.* GMELIN *de venenis* T. I. p 190. TACHENIUS quum vas aperiebat, in quo aliquoties ſublimaverat arſenicum, percipiebat odorem ſuavem, ſed ab eo oriebatur cardialgia, ſyncope, ſudor algidus, nauſea, vomitus, mictus cruentus & contractura totius corporis nec potuit niſi longo tempore lactis uſu reſtitui. *Cel.* BOERHAAVE *de morbis nervorum* T. I. p. 244. Homines, qui cuprum arſenico dealbare in clauſo cubiculo tentabant, fere ſuffocabantur, linguam ex ore protendebant, capitis dolor, vertigo, laſſitudo & maculæ flavæ circa thoracem erumpentes aliquot dies remanebant.

** Vapores plumbi *Freybergæ* homines metallarios potiſſimum enecant, ideo 17 anno uxores ducunt & 30 annum vix ſuperant. *Ill.* HALLER *Elem. phyſiol.* T. VIII. p. 103. in *addendis:* & *Cel.* STOCKHAUSÉN *libellus de lithargyrii fumo noxio, vulgo dicto Hüttenkaze.*, *Goſl.* 1656.

lore plumbeo recenter illinitis habitant, præſertim janua & feneſtris clauſis, aut plumbum in igne fundunt; vel *præparata plumbata* parant, ut

Tritores pigmentorum plumbeorum.

Decoloratores rhedarum,

Pictores, qui imagines coloribus plumbeis ſimulant.

Deauratores, qui ad ignem vel abſque igne deaurant, qui mercurialia plumbo adulterata adhibent.

Stannatores vaſorum, qui ſtannum plumbo mala fraude ad ulteratum tractant.

Figuli, qui vaſa terrea incruſtant, maxime qui lithargyrium, quo ad incruſtandum utuntur, in pulverem terunt.

Politores, qui mediante rota plumbea vel ſtanneo plumbo mixta opus faciunt.

Fibularii, qui compoſitione ex ſtanno & plumbo confecta utuntur, præcipue autem ii, qui hæc artefacta iterum in pulverem conterunt.

Apothecarii, qui plumbata in pollinem terunt emplaſtraque ſaturnina parant.

Vis noxia. Plumbi halitus varios & multiplices inducit morbos. Eſt ubi unus vel duo tantum digiti fiunt paralytici; quandoque manus vel integrum brachium reſolvitur; alias

ſub larva rheumatiſmi vagi, arthritidis vagæ, podagræ anomalæ latitat, alias ſub larva morbi nervoſi, hypochondriaſeos, melancholiæ, maniæ, fatuitatis, epilepſiæ, conſtrictionis thoracicæ cum plenaria lotii retentione, palpitationis cordis &c. ludit: altior & manifeſtior gradus is eſt, quando immani ventrem dolore excruciat cum vomitu enormi materiei æruginoſæ, porraceæ, alvo pertinaciter clauſa. Vide *Plumbum*.

Phrophylaxis. Fodinarum & laboratorii, in quo labores plumbati inſtituuntur bona *aëris perflatio*. *Diæta pinguis*. Denique *alumen* ad grana XV cum gummi arabico aliquoties in ſeptimana deglutitum.

Antidota. Morbi ſaturnini jam præſentis medela exigit, ut purgante remedio plumbum expellatur V. *Plumbum*.

HALITUS CUPRATUS.

Eſt halitus cuprum volatiliſatum continens. *Kupferdunſt*.

Vis noxia. Artifices cuprum frequenter tractantes capillos non raro virides habent, vertigine, nauſea, vomitu, tuſſi ſicca, ulceribusque pulmonum laborant, & excrementa viridia nonnunquam alvo reddunt.

Antidota oleoſa, mucilaginoſa, purgantia. V. *Cuprum*.

HALITUS MERCURIALIS.

Eſt halitus mercurium volatiliſatum continens. *Quekſilberdunſt.*

Qui e *ſodinis* hydrargyrum vel cinnabarim eruunt. Artifices, qui *præparata mercurialia* conficiunt. Qui in cubiculis, cujus *atmoſphæra* atomis mercurialibus ſcatet, degunt, halitu mercuriali afficiuntur.

Vis noxia. Inducit vertiginem, tremorem præſertim manuum, faciei pallorem cachecticum; aſtma; ptyaliſmum; dentium nigredinem, vacillationem, lapſum; ulcera putrida oris. Quandoque ſurditatem, aphoniam; ſtupiditatem; cui apoplexia ſæpe finem imponit. Nocet præcipue ſcorbuticis. * Dum mercurium ſublimatum conficiunt chemici, ab ejus vapore graviter nonnunquam læduntur; oculis naribuſque receptus peſſimas ophthalmias, vo-

---

* *Cel.* Goulard duos milites ſcorbuticos in quo venerei quidam mercurio curabantur, locatos, a ſola atmoſphæra ſalivantium in capitis intumeſcentiam, ingentem ſalivationem & peſſima ulcera oris incidiſſe vidit.

Venetiis in lazaretto, quando per ſalivationem multi ægroti lue venerea liberantur, adeo vehementer aër inficitur, ut ſaniſſimo homini intra paucas horas puſtulæ efflореſcant. *Cel.* Tisting *cypria.* p. 169.

lentoſ-

lentosque ſternutationes inducit, ubi vero fauces, aſperam arteriam, pulmonesque tangit, tuſſim, reſpirand. difficultatem ſummam, phthiſim affert, aut ſuffocatione ſubito necat. *

PROPHYLAXIS. *Perflatio aëris* fodinarum & laboratorii. *Diæta* pinguis. *Purgantia eccoprotica* ſæpius aſſumpta.

ANTIDOTA. Mucilaginoſa & diaphoretica. V. *Mercurius*.

FUMUS CINNABARINUS.

Eſt fumus e cinnabari prunis ardentibus adſperſa aſcendens. *Zinnoberrauch*.

VIS NOXIA. Cum ignis cinnabarim in vaporem mercurialem & vaporem ſulphureum reſolvat; hinc duplici halitu noxius eſt. Sulphureus halitus pulmonibus incaute hauſtus ſuffocationem & halitus mercurialis cito ſalivationem cauſat.

ANTIDOTA, quæ in halitu ſulphureo & halitu mercuriali laudavimus.

VIRTUS MEDICATA. Fumus cinnabarinus caute ope infundibuli applicatus in ozœna venerea, ulceribus, tophis & condylomatibus venereis obſtinatis quandoque egregium præſtat effectum V. *Pharmacologia chirurgica*.

---

* *Cel.* CÆLSI l. c. p. 47.

HALITUS TERREI.

HALITUS GYPSI.

Halitus, qui gypſum pulveratum continet. *Gipsſtaub.*

VIS NOXIA. Gypſi pulvis una cum aëre ad pulmones delatus in lapillos concreſcit, linguæ & faucium ariditatem, ſingultum, tuſſim ſiccam, anxietatem, ſyncopem; cachexiam, peripneumoniam, phthiſim inducit. Hinc gypſóplaſtæ fere ſemper debiles incedunt, gypſataque facie referunt ſimulacra.

ANTIDOTA. Evitata atmoſphæra gypſata, aceti vapor pulmonibus inſpiratus gypſum ſolvit & tuſſi excitata educit. *

HALITUS VEGETABILIUM.

AER VEGETABILIUM MEPHITICUS.

Eſt aër, qui e vegetabilibus in locis umbroſis de die, atque de nocte exhalat. *Verdorbene Pflanzenluft.*

Folia viridia luci ſolari expoſita aërem ſalubrem ſeu dephlogiſticatum exhalant, at eadem fo-

* *Cel.* CÆLSI l. c. p. 88.

lia in locis umbroſis de die & nocte aërem inſalubrem, noxium exhalant. Idem aër noxius e *floribus*, *fructibus* & *radicibus* etiam de die irradiante quamvis ſole exit. *

VIS NOXIA. Animalia huic aëri incluſa necantur. Flammam exſtinguit. Qui ſummo mane caldarium plantarum adeunt, ſummam experiuntur pectoris oppreſſionem. Hinc patet, quid valeat conſilium, quod ſuadet, ut arbuſcula aut frondes virides in conclavi ægrotorum locentur. Si pleno id die irradiante ſole fiat, aliqua haurietur inde utilitas, humiditate earum refrigerationem conciliante. Sed non idem ſequentur eventus, ſi frondes numeroſi virides in parvo & umbroſo conclavi locentur. Minus tamen pertimeſcendum eſt a plantis quam a floribus & fructibus.

ANTIDOTA. Aër atmoſphæricus, dephlogiſticatus, acetum.

HALITUS PECULIARES QUORUNDAM VEGETABILIUM.

HALITUS ANAGYRIDIS.

ANAGYRIS fœtida L. *Stinkbaum.*

---

* *Ill.* INGEN-HOUSZ *Experiences ſur les vegetaux.*

Vis noxia. Fœtor in Creta graved'nem capitis infert.

HALITUS DRACUNCULI.

ARUM Dracunculus L. *Schlangenkraut.*

Vis noxia præcedentis.

HALITUS JUGLANDIS.

JUGLANS regia L. *Wallnuſsbaum.*

Vis noxia. Umbra ejus ſuſpecta cenſetur, ac febrem inducere dicitur. *

HALITUS SAMBUCI.

SAMBUCUS nigra L. *Hollunder.*

Vis noxia præcedentis.

HALITUS SANTALI ALBI.

SANTALUM album L. *weiſſer Santelbaum.*

Vis noxia. Arbor recens conciſa halitum venenatum ſpirat, qui febrem ſynocham delirioſam cauſat, ** quam Indi radice mungos curant.

---

* *Ill.* Linne *diſſ. de odoribus medicamentorum.* In *amœnit. acad.* vol. III. p. 200.

** Pontius *hiſt. nat. & med. Ind. Orient.* p. 46.

HALITUS ALCEÆ MOSCATÆ.

ALCEA moſcata L. *Muskatellerkraut.*

VIS NOXI. Odor hyſtericas, viduas, proſtibula ſuffocare dicitur. *

HALITUS MANCINELLÆ.

HIPPOMANE Mancinella L. *Manchinelbaum.*

VIS NOXIA. Europæos quam plurimos Surinamum appellentes ſolo halitu occidiſſe dicitur. ** At id alii negant. ***

HALITUS CANNABIS.

CANNABIS ſativa L. *Hanf.*

VIS NOXIA. Effluvia cannabis macerati noxia cenſentur.

---

* LINNE l. c.

** LINNE l. c.

*** *Ill.* JACQUIN *Select. ſtirp. amer. hiſt.* p. 251. dicit: fertur etiam arboris umbram noxam inferre ſubtus recumbenti; ſed per trihorium ipſi mihi cum ſociis periculum facienti, nihil mali evenit. Tum etiam pluviam trans hanc arborem cadentem, corporeque nudo exceptam, innocuam ſum expertus. Noxia fortaſſe fuit ubi rupti ventis vel imbribus rami foliave lac ſuum venenatum ſimul deſtillaverint pluviæ immiſtum.

HALITUS LINI.

LINUM uſitatiſſimum L. *Lein.*

VIS NOXIA. Linum in aqua ut fieri ſolet, maceratum, odorem & ſaporem habet piſcibus lethalem, hominibus noxium. *

HALITUS TOXICODENDRI.

RHUS Toxicodendron L. *eichenblätterichter Giftbaum.*

VIS NOXIA. Halitus cenſetur ſuſpectus.

HALITUS RHUS VERNICIS.

RHUS Vernix L. *Firnisbaum.*

VIS NOXIA præcedentis. **

HALITUS HELLEBORI ALBI.

VERATRUM album L. *weiſſe Nieſswurz.*

VIS NOXIA. Radix incaute effoſſa horrendum vomitum cauſavit.

HALITUS DRACONTII POLYPHYLLI.

DRACONTIUM polyphyllum L. *vielblättrichte Zehrwurz.*

VIS NOXIA. Spatha longitudinaliter dehiſcens,

* *Cel.* RITTER in *Acad. N. C.* vol. 10.

** *Cel.* MONTI in *Inſtitut. Bonon. Act.* T. III. p. 165.

tantum fœtorem putridiſſimi cadaveris ſpargit, ut olfacientes, adtonitos reddat & catalepticos; ſed quod mirum, cum poſt aliquot dies pollinem ejaculare incipiunt antheræ una eademque hora venenatus iſte fœtor, totus quantus penitus abolitur. *

HALITUS DRACONTII FOETIDI.

DRACONTIUM fœtidum L. *ſtinkende Zehrwurz.*

VIS NOXIA. Flos teterrimum odorem ſpargit, qui capitis dolorem cauſat.

VIRTUS MEDICATA. Radix virtutem ari maculati poſſidet ac præcipue in ſcorbuto laudatur. **

ODORES FLORUM QUORUMDAM.

ODOR VIOLARUM.

VIOLA odorata L. *Violen.*

VIS NOXIA. Corollæ recentes odorem gratiſſimum ſpirant at adeo fragrantem, ut virgo nobilis ex patina, violis repleta & per noctem in cubiculo ſervata, apoplexia interierit. ***

---

* *Hort. Clif.* p. 434.

** *Cel.* KALM in *ſuo itin.* p. 59.

*** *Cel.* TRILLER *diſſ. de morte ſubita ex nimio violarum odore, in opuſc. vol.* I. p. 240.

Omnia odora valde fragrantia halitibus anguſtiori ſpatio occluſis, caput tentant, ſenſus denique omnes ſupprimunt.

ODOR ROSARUM.

ROSA centifolia L. *Roſen.*

VIS NOXIA. Etſi florum horum odor vix non omnibus hominibus gratiſſimus ſit, quibusdam tamen ſolo olfactu ſternutationem, catarrhum, inflammationem oculorum, animi deliquia, hyſtericas affectiones, alvi dejectiones excitant, imo abortus mortisque inde orta exempla leguntur. Facile patet ejusmodi effectus vitio idioſincraſiæ maxime oriri. *

ODOR LILIORUM ALBORUM.

LILIUM candidum L. *weiſſe Lilie.*

VIS NOXIA præcedentis.

ODOR CAPRIFOLII.

LONICERA periclimenum L. *Geiſsblut.*

VIS NOXIA. A florum recentium odore vomituritio, laſſitudo & linguæ paralyſis animadvertebantur. **

---

* *Ill.* MURRAY *apparat. medicam.* Vol. III. p. 160.

** *Cl.* GMELIN *über die Entdeckungen in der Lehre von der Luft* p. 93.

ODOR POLIANTHES.

POLIANTHES tuberoſa L. *Tuberoſe.*
VIS NOXIA præcedentis.

ODOR PHASEOLI.

PHASEOLUS vulgaris L. *Bohne.*
VIS NOXIA florum ut præcedentium.

ODOR OLEANDRI.

NERIUM Oleander L. *Oleander.*
VIS NOXIA. Florum odor intra conclave incluſus occidit ſæpe dormientes. *

ODOR FOENI RECENTIS.

FOENUM recens. Friſches Heu.
VIS NOXIA. Mortui inveniebantur, qui ſuper acervo fœni recentis in loco occluſo dormiebant.

ODORES AROMATUM VEGETABILIUM.

ODOR CARYOPHYLI AROMATICI.

CARYOPHYLLUS aromaticus L. *Gewürznelke.*
VIS NOXIA. Homines, qui in camera, ubi acer-

---

* *Ill.* LINNE in *diſſ. citata.*

vus caryophyllorum congeſtus erat, per unicam ſolum noctem dormiebant, nauſea, vomituritione, anxietate & ingenti capitis dolore afficiebantur. *

ODOR CAMPHORÆ.

Reſina volatilis ex *LAURO Camphora* L. *Kampfer.*

VIS NOXIA. Aromatarii, qui magnas ſarcinas, camphora, croco, aſa fœtida ſimilibusque aromatibus repletas, reſignabant inſuperabili ſomnolentia corripiebantur. Vir illuſtris Amſtelodami penurium, aromatum odoribus refertum ingreſſus, vertigine, ſenſuum ſtupore correptus, pectoreque oppreſſus, niſi protinus pedem titubantem retraxiſſet, ſine dubio concidiſſet. **

ODOR ASÆ FOETIDÆ.

Gummi-reſina ex *FERULA Aſa fœtida* L. *Aſand. Teufelsdrek.*

VIS NOXIA præcedentis.

ODOR AMBRÆ.

AMBRA ambroſiaca L. *Ambra.*

VIS NOXIA præcedentis.

---

* RUMPFIUS.

** *Ill.* TRILLER in *diſſ. citata.*

ODORES AROMATUM ANIMALIUM.

ODOR MOSCHI.

MOSCHUS Moſchifer L. *Biſam.*

VIS NOXIA. Moſchi odor multis mulieribus animi deliquium, vertiginem, vomitum & affectiones hyſtericas movet. Veſica animalis moſchiferi naribus alicujus hominis admota ſanguinem ex illis provocabat, * in aliis menſtrua movebat.

ODOR CASTOREI.

CASTOR Fiber L. *Bibergeil.*

VIS NOXIA præcedentis at mitior.

ODOR ZIBETHI.

VIVERRA Zibetha L. *Zibeth.*

VIS NOXIA. Qui cameram, in quo animal zibethinum conſervabatur, primi intrabant, fere inebriabantur. Fæminæ teneriores ab hoc odore animi deliquio afficiuntur. **

---

* *Cel.* TRALLES *de limitandis laudibus & abuſu moſchi in medela morborum diſſertatio.* Vratisl. 1783. §. 3 & 4.

** *Ill.* BOERHAAVE *prælect. inſt.* §. 1112.

ODORES PLANTARUM NARCOTICARUM.

ODOR HYOSCIAMI.

HYOSCIAMUS niger L. *ſchwarzes Bilſenkraut.*

VIS NOXIA. Inducit temulentiam & vertiginem. * A fumo ſeminum combuſtorum mentis alienatio cum furore & altercatione, imo etiam ab effluviis ſeminum eadem mala fuere viſa. ** Hæc ſemina videntur eſſe artificium, cujus vapore ſagæ ad altercationes inter homines excitandas utuntur.

ODOR STRAMONII.

DATURA Stramonium L. *Stechapfel.*

VIS NOXIA. Odor foliorum comminutorum poſt ſomnum in eodem cubiculo captum, capitis dolorem obtuſum paullo poſt evanidum cauſavit. ***

ODOR OPII.

PAPAVER ſomniferum L. *Mohnſaft.*

---

* *Ill.* BOERHAAVIUS cum ſuo amico dum emplaſtrum de hyoſciamo pararent a ſolo vapore temulenti fiebant.

** *Ephem. N. C.*

*** *Ill.* STORCK *libellus de ſtramonio* p. 5.

Vis noxia. Homines, qui in colligendo opio occupantur, luridi marcidi & tremuli comparent. Sola translatio opii crudi recentioris in alia vaſa mentis emotionem excitavit, ſomno dimidiæ horæ diſſipatam. *

ODOR CROCI.

Crocus ſativus L. *Safran.*

Vis noxia. Immoderatus ejus odor caput gravat, mentem turbat, apoplexiam riſum ſardonium inducit. **

ODOR TABACI.

Nicotiana Tabacum L. *Töback.*

Vis noxia. Inaſſueti, dum fumum ore hauriunt, vertigine, cephalalgia, anxietate, ſomnolentia, vomitu, alvi ſolutione corripiuntur. ***

---

* *Cel.* Lorry in Vandermonde *Recueil period.* T. 4. p. 70.

** Uxor aromatarii, quæ in conclavi parvulo calefacto crocum pulveriſatum in minutas portiones dividebat, ſubito in terram prolapſa inſtar apoplecticæ jacuit. *Cel.* Tralles *de limitandis laudibus moſchi* p. 40. Judæus qui ſacco, croco repleto incumbens dormiebat, mortuus inveniebatur. Multi, qui crocum transportant ſæpe ab ejus odore pereunt. *Cel.* Gmelin *Entdeckungen von der Luft*, p. 93.

*** *Ill.* Murray *app. m.* V. I. p. 468.

Exceſſus in aſſuetis idem facit. Homo, qui 25 fiſtulas poſt meridiem exhauſerat, ſtupidus inde evaſit cum jactura ſenſuum, quos recuperavit vomitionibus violentis. * Duo fratres quorum unus 17 alter 18 fiſtulas evacuarunt more apoplectico exſpirarunt. **

ANDITOTA ſunt irritatio fancium ut vomitus ciatur. Acetum vini

VIRTUS MEDICATA. V. *Pharmacologiam chirug.*

ODOR LOLII TEMULENTI.

LOLIUM temulentum L. *Lolch.*

VIS NOXIA. Halitus, qui ſub ſeminis toſtione, projectione ad prunas ardentes aut ſub fermentatione ſeminum in cubiculo clauſo emanat, ſtupiditatem & cephalalgiam cauſat. ***

ODOR CICUTÆ.

CICUTA viroſa L. *giftiger Wüterich. Waſſerſchierling.*

VIS NOXIA. Odor in loco clauſo inducit ſomnolentiam. *)

---

* VANDERMOND *Rec. period.* T. VII. p. 68.

** HELLWIG *obſ. phyſ. med.* p. 45.

*** *Cel.* GMELIN *Geſchichte der Gifte* I Th. p. 187.

*) *Cel.* TREW in *Commerc. Litt. Nro.* 1740. p. 395. Pharmacopoei tiro, qui æſtate calida ſudans plantam domum tulit, ſtupore & ſomnolentia afficiebatur.

ODOR CONII MACULATI.

CONIUM maculatum L. *Schierling.*

VIS NOXIA. Ab odore murino plantæ inter digitos tritæ vertigo inducebatur. *

ODOR FUNGORUM VENENATORUM.

FUNGI venenati. Giftige Schwämme.

VIS NOXIA. Solus odor nauſeam movit. **

APPENDIX.

DE VENENIS, QUORUM INDOLES ADHUC IGNOTA

AQUA TOFFANA.

Eſt liquor venenatus, qui ſcelleratæ feminæ italæ, *TOFFANIA* dictæ, malignum inventum eſt. *Toffaniſches Giftwaſſer. Aquetta Italorum.*

Vera compoſitio hujus veneni medicos adhuc fugit, at *arſenicum cryſtallinum* in larga aquæ copia per ſimplicem decoctionem ſolutum eſſe videtur. ***

* *Ill.* BOERHAAVE *de morbis nervorum* p. 236.

** *Ill.* LINNE *de viribus plant.* in *Amœ. acad.* p. 451.

*** *Ill.* HOFFMANN *Med. rat. ſyſtem.* T. II. p. 185. & *Cel.* GMELIN *mineraliſche Gifte* p. 127.

Vis noxia. Homines, quibus hæc aqua ingeritur, febre ardentiſſima utplurimum diu durante, vomitu chronico, ſiti inexplebili corripiuntur, cui tabes hectica & mors finem imponit. Cadavera mortuorum valde rubebant. Hoc veneno præſertim in Italia ingens maritorum numerus a nefariis uxoribus ſub regimine Pontificis *ALEXANDRI VII.* interficiebatur. Malitioſas has mulieres artem cito aút tarde mortem hac aqua accerſendi caluiſſe legitur. *

Antidota. Succus citri magna copia ingeſtus valde proficuus fuit. Sed tentur ſal alcalinum, lac, oleum & reliqua antidota, quæ contra arſenicum laudavimus.

PULVIS SUCCESSIONIS.

Eſt venenum pulveris forma, quod priori ſæculo præprimis in Gallia conſuetum erat. **

Teterrimum hoc venenum fæminæ cujusdam Pariſienſis *Madame DE BRIAVILLIERS* dictæ inventum eſſe, cenſetur. Ob dulcem ſaporem, & lentam, quam ejus ingeſtio cauſat mortem,

---

* *Cel.* Lebret *Magazin zum Gebrauch der Staaten und Kirchengeſchichte* IV. *Th. p.* 141.

** *Cel.* Erndt *diſſ. med. ex veneno ſalutem ſiſtente. Gieſſ.* 1691. *Theſ.* 21.

ex

ex ſaccharo ſaturni & pauco arſenico conſtare videtur. *

Antidota. Certa non conſtant; hinc quæ contra venena plumbata & arſenicalia laudantur, adhibe.

VENENUM MACASSARIENSE.

Venenum Macaſſarienſe, das Macaſſariſche Gift.

Vis noxia. Diriſſimum hoc venenum eſt ſuccus lacteus ignotæ nobis adhuc arboris, ſauciatione per arundinem acuminatam prolicitus, tam viroſus, ut halitus vulneratæ arboris ſuffocet, niſi eminus vulneretur, & ventus a facie averſus ſpiret: unde etiam collectio capitis damnatis modo committitur.

Antidotum eſt radix mungos, quæ ad drachmam cum aqua hauritur. **

VENENUM AMERICANUM TICUNAS.

Eſt venenum incognitum, quod ab Indis Ticunenſibus in America ad ſua tela intoxicanda præparatur. *Amerikaniſches Tikunasgift.* ***

* *Cel.* Wepfer *hiſt. cicut. aquat. Cap.* 20. *Schol.* 4.

** *Ill.* Murray *ap. med.* T. I. p. 376.

*** *Cel.* Fontana *traité ſur le venin de la vipere, ſur les poiſons americains* &c. p. 83. *Philoſ. Tranſact.* vol. 47. N. 12.

Vis noxia. Odor nauſeoſus; Sapor amariſſimus. Vapor e veneno ſiccato emanans & veneni applicatio ad cutem ſanam vel corneam oculi nihil nocuerunt. At tela hoc veneno intoxicata cutem hominis vel animalis vulnerantia celerrime necant, ſi venenum recens. Caro horum animalium impune comedi ſolere dicitur. Veneni major doſis & ventriculo vacuo ingeſta animalia intra aliquot minuta interimit. Mera excitat ſymptomata nervoſa, ſubitaneum virium lapſum, inſenſilitatem, convulſionem, lethargum &c.

Antidota. Nulla adhuc cognita, nec acida mineralia nec acetum, nec alcali, nec ſpiritus ſacchari, nec Sal, nec Saccharum * vulneri inditum, quidquam profuere.

* Ut *Ill.* La Condamine propoſuit.

INDEX.

A.

Acidum vitriolum . . . 230
—— ſalis . . . 232
—— nitri . . . 232
Aconitum Napellus . . . 168
—— Commarum . . . 171
—— lycoctonum . . . 171
—— anthora . . . 172
Actæa ſpicata . . . 103
Adamas . . . 227
Aer alcalinus . . . 291
Aer fixus artefactus . . . 291
—— vitriolicus . . . 290
—— muriaticus . . . 290
—— nitroſus . . . 297
—— phlogiſticatus . . . 299
—— inflammabilis . . . 300
—— igne corruptus . . . 300
—— carbonum ardentium . . . 300
—— paludoſus . . . 301
—— ſuti platealis . . . 302
—— fodinarum metallicarum . . . 302
—— —— carbonariarum . . . 302
—— —— ſalinarum . . . 303
—— hepaticus . . . 303
—— vegetabilium mephiticus . . . 322
Aerugo . . . 247
Aethuſa Cynapium . . . 127
Agaricus integer venenatus . . . 133
—— muſcarius . . . 132
—— integer viſcidus . . . 135
—— lactifluus venenatus . . . 135
—— piperatus . . . 137
—— fimetarius . . . 137
—— puſtulatus . . . 137

I N D E X.

Agaricus Necator 138
——— ſanguineus 138
——— viſcidus 138
——— clypeatus 138
Ahovai 150
Algaroti pulvis 220
Alumen plumoſum 228
Amianthus plumoſus 228
Amyris toxifera 182
Anacardium occidentale 186
——— orientale 186
Anemone palmata 160
Anemone Pulſatilla 160
——— ranunculoides 161
——— pratenſis 161
——— narciſſifolia 162
——— nemoroſa 162
Animal putridum 59
Anthora 172
Antimonii hepar 270
——— ſulphur auratum 270
Antirrhinum Orontium 103
Apis mellifica 49
Apocynum Androſæmifolium 153
——— cannabinum 153
——— venetum 154
Aqua fortis 232
—— regia 233
—— Toffana 335
Aquetta 335
Aranea comeſtica 46
——— Tarantula 47
Arbor excoecans 185
Argenti præparata 242
Argentum hydragogum Boylei 244
Argentum monetarium 242
Arſenicum poroſum 277
Arſenicum regulus 277
Arſenici cryſtallinum 271
Arſenicum album 271
——— citrinum 275

Arſenicum rubrum 275
——— rubinum 275
Aſclepias Gigantea 154
Aſpis 34-38
Atropa Belladona 120
——— Mandragora 96
Arum maculatum 187
——— Dracunculus 189
——— Dracontium 189
——— Colocaſia 189
——— eſculentum 189
——— virginicum 190
——— arboreſcens 190
——— ſeguinum 190
Aura Cavernæ caninæ 294
—— muſti fermentantis 294
—— cereviſiæ fermentantis 294
—— aquarum acidularum 295
—— ſalium efferveſcentium 295
—— ædificiorum recentium 296
—— uſturæ calcis 296
—— animalium putreſcentium 304
—— vegetabilium putreſcentium 305
—— reſpiratione animali corrupta . . . 305
—— tranſpiratione animali corrupta . . 306
—— multitudine hominum corrupta . . . 306
—— aëris diu incluſi 307
—— aquæ corruptæ 307
—— cœmeteriorum 308
—— noſocomiorum 310
—— carcerum 313
—— navium 314
Auripigmentum 276
Aurum 239
——— monetarium 240
——— fulminans 241
Azalea Pontica 102

B.

Belladonna 120
Benge arabum 101
Berus 35
Bismuthi Magiſterium 244
Boletus elegans 139
——— verſicolor 138
Boleti paraſitici 139
Bryonia alba 125
Buffo 53
Butyrum antimonii 268

C.

Calla paluſtris 191
Caltha paluſtris 167
Calx viva 259
Cambogia Gutta 149
Cannabis halitus 325
Cantharis 40
Carbunculus frumenti 215
Caries frumenti 215
Carneolus 227
Caryota urens 187
Caſſava 175
Cataputia major 117
——— minor 193
Cerbera Ahovai 150
——— Manghas 150
Ceruſſa 251
Chærophyllum ſylveſtre 126
——— bulboſum 126
——— temulentum 127
Chelidonium glaucium 107
——— minus 203
Chænopodium hybridum 106
Cherſea 36
Cicera 105
Cicuta minor 127
——— viroſa 128

Cicuta aquatica . . . 128
——— terreſtris . . . 119
Cicutaria . . . 126
Clavus ſecalinus . . . 208
Clematis Vitalba . . . 157
——— Flammula . . . 158
——— recta . . . 158
——— integrifolia . . . 159
Cneorum tricorum . . . 182
Cobaltum officinatum . . . 277
——— arſenicale . . . 278
Coccumgnidium . . . 180
Coculus indicus . . . 175
Cœruleum montanum . . . 247
Colchicum autumnale . . . 144
Colocaſia . . . 189
Colocynthis . . . 148
Coluber Atropos . . . 32
——— leberis . . . 32
——— Dipſas . . . 32
——— Mycterizans . . . 32
——— lacteus . . . 32
——— Naja . . . 33
——— ſeverus . . . 33
——— ſtolatus . . . 34
——— atrox . . . 34
——— corallinus . . . 34
——— Ammodytes . . . 34
——— lebetinus. . . . 34
——— Vipera . . . 34
——— niveus . . . 35
——— Haje . . . 35
——— Berus . . . 35
——— Preſter . . . 36
——— Cherſea . . . 36
——— Aſpis . . . 38
——— illyricus . . . 39
Conium maculatum . . . 129
Convolvulus ſcamonea . . . 148
Coriaria myrtifolia . . . 116
Corona imperialis . . . 143

Crabro 50
Crocus antimonii 269
——— metallorum 269
——— Veneris 247
Crotalus horridus 30
——— miliaris 31
——— Drynias 31
——— Duriſſus 31
——— mutus 31
Croton Tiglium 179
Cryſtallus montana 230
Cucumis Colocynthis 148
Culex lanio 45
——— pipiens 49
——— pulicaris 49
Cuprum 245
Cyclamen europæum 146
Cynanchum erectum 151
———— vimiale 152
Cynapium 127

D.

Daphne Mezereum 180
——— Thymelæa 181
——— laureola 182
——— Cneorum 182
——— Gnidium 182
Datura ſtramonium 96
——— Metel 98
——— ferox 98
——— Tatula 98
Delphinia ſtaphiſagria 141
Dentillaria 146
Digitalis purpurea 145
Draco 55
Dracontium 189
Dracunculus 189
Dulcamara 94

E.

E.

Elaterium 149
Ens veneris 247
Ervum ervilja 104
Eſula 194
Euphorbium Gummi 191
Extractum ſaturni 251
Excæcaria Agallocha 185
Euphorbia officinarum 141
——— antiquorum 193
——— cannarienſis 193
——— Tirucalli 193
——— Peplus 193
——— lathyris 193
——— helioſcopia 194
——— verrucoſa 194
——— platyphyllos 194
——— Eſula 195
——— Cypariſſias 195
——— paluſtris 195
——— hiberna 195
——— Characias 195
——— amygdaloides 195
——— ſylvatica 196
——— exigua acuta 196
——— mauritanica 196
——— nerifolia 196

F.

Faba Ignatii 119
Ficaria 202
Flammula 158
——— jovis 158
Flores antimonii 267
Fritillaria imperialis 143
Fuligo camini anglicana 229
Fumus cinnabarinus 321
——— ignis incluſus 304
Fungi venenati 131

Fungi nondum determinati 140
Fungus cynosbatos 218
Furia infernalis 29

G.

Geko 54
Glacies mariæ 230
Gordius medinenſis 50
——— marinus 52
Granatus 227
Gutta Gummi 149
Gymnotus electricus 56
Gypſum uſuale 229

H.

Halitus ſulphuris accenſi 288
——— urinæ 297
——— cloacarum 298
——— rancidus 303
——— arſenicalis 316
——— plumbatus 317
——— cupratus 319
——— mercurialis 320
——— gypſi 322
——— anagyridis 323
——— dracunculi 324
——— juglandis 324
——— ſambuci 324
——— ſantali albi 324
——— alceæ moſcatæ 325
——— mancinellæ 325
——— cannabis 325
——— lini 326
——— toxicodendri 325
——— Rhus vernicis 326
——— dracontii polyphyli 326
——— ——— fœtidi 327
——— hellebori albi 326
Harmela 106
Helleboraſtrum 166

Helleborus albus 163
——— niger 165
——— fœtidus 166
Hepar antimonii 270
Hippomane Mancinella 113
——— biglandulosa 115
Hirudo venenatus 52
Hyacinthus 227
Hydrocotile vulgaris 155
Hydropiper 173
Hyoſciamus niger 98
——— albus 100
——— phyſalodes 100
——— ſcopolia 102

I.

Jatropha Curcas 174
——— multifida 175
——— Manihot 175
Ignatia amara 119

L.

Lacerta Geko 54
——— Salamandra 54
Lapis infernalis 243
——— cauſticus 238
——— lazuli 228
——— ſpecularis 230
——— armenus 247
Lactuca viroſa 108
——— ſcariola 108
Lathyris 193
——— Cicera 105
Laureola 182
Lauroceraſus 110
Lepus marinus 53
Lignum colubrinum 118
——— Pavanæ 180
——— moluccanum 180

Z 2

I N D E X.

Lithargyrium 251
Lixivium cauſtioum ſaponariorum 238
Lobelia ſiphilitica 151
—— longiflora 152
Lolium temulentum 104
Lycoperdon carcinomalis 140
Lycoperſicum 93

M.

Mancinella 117
Mandragora 96
Manghas 150
Manihot 175
Manipuera 175
Meloe viſicatorius 40
—— majalis 43
—— proſcarabæus 43
Meniſpermum Cocculus 115
Mercurialis perennis 130
Mercurius vivus 260
—— dulcis 264
—— præcipitatus albus 265
—— —— ruber 266
—— ſublimatus corroſivus 263
—— vitæ 270
Metel 98
Mezereum 180-181
Miasma luis bovillæ 60
Minium 257
Momordica Elaterium 149
Mytilus edulis 57

N.

Naja 33
Napellus 168
Natrum glaciale 230
Nerium Oleander 119
Nicotiana Tabacum 123
—— ruſtica 125

Nicotiana paniculata 125
Nicotiana glutinoſa 125
Nitri ſpiritus fumans 232
Nux vomica 117

O.

Odor violarum 327
—— roſarum 328
—— liliorum alborum 328
—— caprifolii 328
—— polyanthes 329
—— phaſeoli 329
—— fœni recentis 329
—— oleandri 329
—— caryophyllorum 329
—— aſæ fœtidæ 330
—— ambræ 330
—— camphoræ 330
—— moſchi 331
—— Caſtorei 331
—— Zibethi 331
—— hyoſciami 332
—— ſtramonii 332
—— opii 332
—— croci 332
—— tabaci 333
—— lolii temulenti 334
—— cicutæ 334
—— conii maculati 335
—— fungorum venenatorum 335
Oenanthe fiſtuloſa 155
——— crocata 156
Oleander 119
Opium 91
Orontium 103
Oſtrea venenata 58
Ovum putridum 58

INDEX.

P.

Papaver ſomniferum . . . 89
Paris quadrifolia . . . 109
Paſtinaca venenata . . . 172
Pedicularis paluſtris . . . 145
Peganum harmela . . . 106
Perca venenoſa . . . 56
Pineæ purgantes . . . 119
Pinguedo rancida . . . 59
Phalangium araneodes . . . 45
Phallus impudicus . . . 139
——— Mukuſin . . . 139
Phyſalis ſomnifera . . . 93
Phytolacca decandra . . . 179
Plantago aquatica . . . 157
Plumbago europæa . . . 146
Plumbum . . . 248
Polygonum hydropiper . . . 173
Pomum amoris . . . 93
Prunus lauroceraſus . . . 110
Pulex penetrans . . . 48
——— americanus . . . 48
Pulſatilla nigricans . . . 161
Pulvis ſucceſſionis . . . 336
Pupreſtis . . . 46

R.

Raia Paſtinaca . . . 56
——— Torpedo . . . 56
Rana Bufo . . . 53
Ranunculus acris . . . 196
——— pratenſis . . . 196
——— paluſtris . . . 198
——— ſceleratus . . . 198
——— Flammula . . . 201
——— bulboſus . . . 202
——— Ficaria . . . 202
——— Thora . . . 203
——— arvenſis . . . 204

Ranunculus lingua 204
——— alpeſtris 205
——— polyanthemos 205
——— gramineus 206
——— illyricus 206
——— aſiaticus 206
——— platanifolius 206
——— aquatilis 207
——— Sardous 207
Ranunculus albus 162
Raphaniſtrum 207
Realgar 275
Regulus antimonii 267
——— arſenici 227
Rhododendron Chryſanthum 143
Rhus radicans 184
—— Toxicodendron 184
Rhus vernix 183
Ricinus major 174
——— communis 177
Rubigo frumenti 215

S.

Sabâdilli ſemen 142
Sælauthus Forskalii 173
——— glandulofus 173
Sælauthus quadragonus 173
Salamandra 54
Sal alcalinus vegetabilis cauſticus . . 236
——— mineralis cauſticus 236
——— volatilis cauſticus 237
Salis marini ſpiritus concentratus . . . 232
Samu-el ventus 315
Sandaraea 275
Saphirus 227
Saturni ſaccharum 251
——— magiſterium 251
——— extractum 251
——— tinctura 251
Scamonea 148

Scandix infeſta 156
Scorpio africanus 44
Scilla maritima 184
Secale cornutum 208
Selenites 230
Sirex gigas 46
Sium latifolium 127
Smalta 227
Smaragdus 227
Solanum lycoperſicum 93
——— mammoſum 94
——— inſanum 94
——— Dulcamara 94
——— furioſum 120
——— nigrum 95
Sparus pagurus 57
Spongia marina 216
Stannum 258
——— plumbatum 259
Staphiſagria 141
Stramonium 96
Strychnos nux vomica 117
——— colubrina 118
Succeſſionis pulvis 336
Sulphur auratum antimonii 270
Sulphuris accenſi halitus 288

T.

Tabacum 123
Tarantula 41
Tartarus emeticus 269
Tatula 98
Taxus baccata 107
Tethys marina 53
Tetradon ocellatus 55
——— lineatus 55
Thapſia fœtida 157
Thora 203
Tiglium 179
Tilli grana 179

Tin-

Tinctura ſaturnina 251
Tithymallus 193
Toſſania 335
Torpedo 56
Toxicodendron 184
Trachinus draco 55
Turpethum minerale 266

V.

Venenum macaſſarienſe 337
——— americanum Ticunas 337
Ventus Samu-el 315
Veratum album 163
——— nigrum 167
Veſpa vulgaris 50
——— Crabro 50
Vipera 34. 35. 36. 38-39
Virus rabioſum 60
——— varioloſum 72
——— morbilloſum 73
——— ſcarlatinum 73
——— ſcabioſum 74
——— venenerum 74
——— plicoſum 74
——— cancroſum 75
——— leproſum. 75
——— peſtilentiale 75
——— morborum putridorum 76
Viſci querni baccæ 216
Viſcum aucuparium 216
Vitalba 157
Vitriolicus aer 290
Vitrioli acidum concentratum 230
——— oleum 230
Vitriolum album 233
——— cœruleum 234
——— cyprinum 234
Vitriolum viride tabernarum 235
——— martis 235
——— vulgare goslarienſe 235

Vitrum contuſum 226
——— antimonii 268

U.

Urinæ halitus 297
Urtica marina 53
Uſtilago frumenti 214